Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

In die Parasceues: Homilia Qvadragesimasexta. De passione & morte Domini. Egressus est Iesus trans torrentem Cedron. Ioan. 18.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53092

durator: quia ex eo ipſo beneficio in tantam obdurauit glaciē, vt iam totus fieret Satanæ poſſeſſio. Vt autem vidit illum Dominus quaſi omnino perditum, in tantum vt flammis ignis ardentioribus, ſummam contraxiſſet glaciei duritiem, quaſi de correctione eius animo odij deſpondens, deſiderans negotio noſtræ redemptionis (ita D. Auguſtinus) finem imponere, ait illi: *Quod facis, fac citius*, & continuo digreſſas conceptam perfecit iniquitatem. (Tract. 62. in Io.)

O gelu Satanicum? Quod ad ignem maximè feruentem magis obduratur & congelatur. An gelu huic æquiparandum? An tale bellum quis audiuit, vt frigoris gelu ignis ardentius accendatur, & ignis calore gelu frigeris capiat incrementum? O Myſterium! Faxit Deus, fratres mei, ne plures inter nos Iudæ reuiuiſcant: *Nullus Iudas reperiatur*, ſic optat D. Chryſoſt. quem licet ſolum diabolus ſibi prædam abſtulerit, plures tamen reliquit aſſeclas, qui minori pretio quàm triginta denariis Chriſtum vendunt, & quantum in ſe eſt, interficiunt. Iudas, chariſſimi, ſemel communicauit, ſemel illi Chriſtum pedes ablauit: tibi vero quoties corporis ſui buccellam porrigit, quoties ſuo te Sanguine purificat? eundem quoties tibi potum propinat? Toties quoties peccata tua confiteris. Quoties heu quoties de menſa ſurgis Altaris ad peccata feſtinans, vt quantum in te eſt illum denuo crucifigas? Quoties eo ipſo die quo communicaſti, illum quatuor aſſium pretio vendis mille mendax periuriis? Quoties (ne vera dixerim) integris adhuc in corde ſpeciebus Sacramentalibus inhoneſtas tuas meditaris delitias, & Sataniccos ſectaris impulſus? O benigniſſime Deus, quam appoſitè dicere nobis & interrogare poſſes: *Scitis quid fecerim vobis?* Chriſtiani, ſcitis quid veſtri gratia fecerim, quid veſtræ ſalutis ergo pertulerim? An mente reuoluiſtis in quem vſque finem amor meus feruentiſſimus aſcenderit? An unquam beneficia tibi à me præſtita perpendiſti? Nobis tu Domine, præbe intellectum, vt amori tuo & quidem tanto noſter amor correſpondeat, tantaque beneficia piis rependamus operibus, ſi non æqualibus, etenim hoc eſt impoſſibile, diuinis ſaltem oculis tuis ſint grata quatenus illis gaudentes bonis omnibus ditemur cœleſtibus in hoc mundo per gratiam, & in altero per gloriam. Amen. (Ho. de pro. Iudæ Tom. 5.)

# SVMMARIVM
## HOMILIÆ QVADRAG. SEXTÆ
## SEQVENTIS.

IN generali Paſſionis Dominicæ myſterio, nobis myſteriorum illius profunditas repræſentatur. *a.* & magnitudo beneficiorum, quæ nobis in illa diuinos præparauit amor qui cum ſit infinitus *b.* quantumuis cunctis communicetur hominibus, ita tamen ſingulis fit proprius, ac ſi propter ipſos ſolos amor illum ad illam ſuſtinendam obligaſſet. Opus eſt hoc. *c.* quod vnicuique ſuam aperit obligationem qua ſentire tenetur Chriſti dolores ut proprios. *d.* Quamuis enim in eo quod ex eis ſentitur, amaritudo quædam percipiatur: in fructu tamen qui ex illis colligitur, magna percipitur



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

e. §. 6. ſuauitas. e Obtinendus autem hic eſt illam conſiderando tamquam Euangelium,
f §. 7.8. quia in ſe virtutem complectitur Dei .f. Et quia deſcendendo ad eius parti-
9.10. 11. laria, vera probatur eſſe doctrina Apoſtoli; cum eſſet verus Dei filius, formam
12.13. accepit ſerui, paſſuſque eſt vt eam Iudas inciperet, venditionis ſuæ tractando
g §. 24. compactum: g atque ad confirmationem eius quod opus ſit amoris tantum e-
25. ius & miſericordiæ, tametſi ad diuinæ tenderet iuſtitiæ ſatisfactionem, illam can-
tando inchoauit, locumque cedens ciuibus Hieruſalem vt eam exequerentur,
ex illa ſecedit, atque ad montem pergit Oliuarum orationem præmittens vt eam
aggrederetur. In horto Gethſemani capiunt illum Miniſtri Pontificum, & Im-
h §. 16. peratoris Romani milites: quia populis omnibus Iudæorum & Gentilium pro-
17.18. ficeret redemptio per mortem eius operata. h. Erga illos potentiam mani-
19.20. ſtauit, dum illos ſolo verbo proſtrauit in terram, & excœcauit oculos eorum,
21. 22. ne eum agnoſcerent, donec ipſe vellet, deinde dum illis præcipit, ne quem-
piam diſcipulorum ſuorum attingant: in quibus omnibus mandatum eius exactè
completum agnoſcimus. Ad omnia tractus fuit Tribunalia non vulgaribus in-
famis opprobriis: porro in omnibus confirmatur mortem illius propriis non a-
i §. 23. ſcribendam eſſe ſceleribus. i. Et quamuis ita iudicauerit Pilatus, vt malus ta-
24.25. men & iniuſtus Iudex, omnia legum genera tranſgrediens præcepit eum flagellan-
dum, ſpinis coronandum, & vt dolorum triſte ſpectaculum produxit eum fo-
k §. 26. ras in conſpectu populi k. Et licet illa diligentia fuerit ſufficiens ad vindictam
malitiæ Iudæorum, non tamen per eam integre ſatisfecit; quocirca acclamarunt,
vt crucifigeretur, atque illis condeſcendens, tradidit eum voluntati eorum Iudex
l §. 27. iniquiſſimus. l. vt in ipſum peruerſum implerent deſiderium, crucem illi impo-
28.29. ſuerunt, deducendo eum per plateas duriſſimas cruce onuſtum vſque ad montem
30. Caluariæ, grauiſſima Matris ſuæ afflictione, quæ cunctis mortis illius præſens
m §. 31. interfuit circumſtantiis. m. Veſtes illi detraxerunt vt in cruce nudum illum ex-
32.33. tenderent, illi clauis eum affixerunt ad maius doloris Chriſti tormentum, in al-
34.35. tum erexerunt, cunctæque creaturæ mortem ſui Creatoris ſignis apertioribus ſe
lugere demonſtrarunt. Et quamuis diabolus timuerit, atque per illa indicia iu-
dicauerit, quòd ipſe Dominus ille eſſet, quem tantopere dignoſcere deſidera-
bat, ipſum tamen Dominus excœcauit verbis illis Eloi, Eloi ad humanæ infirmi-
n §. 36. tatis expreſſionem prolatis. n. Sortem miſerunt milites ſuper veſtimenta eius
37.38. o. ſepulchra aperiuntur, mortui reſurgunt, & latro confitetur. Veniam à Pa-
o §. 39. tre pro confixoribus efflagitat, vtque vt perfectè omnia compleret ſacrificia, per il-
40. 41. lud quod moriendo offert, dixit *Conſummatum eſt*. p. Multa præbent nobis con-
p §. 42. ſideranda circumſtantiæ Sacratiſſimæ Chriſti Paſſionis, de quibus in nonnullis
43. paragraphis ſequentibus fusè diſputatur.

§. 1. In Paſſione Dei appendit Deus maiorem partem beneficiorum, quæ hominibus contulit: quæ quia talis eſt ſemper habita fuit à multis eorum vt myſterium creditu difficile, & eius intelligentia fidelibus tantum reſeruata perfectioribus, vt ait D. Paulus.

§. 2. Probatur eſſe maximum beneficiorum Dei, myſterium Paſſionis eius, ex amore, quo feruens ſe ad illam obtulit, quia hic reuelatur latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum eiuſdem, quod ex ſolis obſecratione, quo tempore patiebatur, aſſerebatur.

§. 3. Effecit amor Chriſti, vt beneficium commune moriendi pro omnibus, proprium eſſet ſingulis hominibus: & ita per omnes tranſit pœnas ſingulis debitas eorum peccatis. Vt autem tibi proficiat, illam conſidera, tanquam pro te ſolo toleratam.

§. 4. Sentite vt proprios, quos Chriſtus perpeſſus eſt, dolores pro peccatis veſtris, & ita colligetis vtilitatem ex Paſſionis Chriſti meditatione.

§. 5. Vt Paſſionis illius meditatione afficiaris, poſuit in illa Dominus ſub acerbitate eius & doloribus dulce ſalutis noſtræ remedium: materia hæc ea eſt, in qua multum poteſt noſter proficere intellectus, & voluntas allectari.

§. 6. Ne in ſuperficie moreris hiſtoriæ Paſſionis mortiſque Chriſti, ſed illam conſidera vt Euangelium, atque in illa reperies magnalia virtutis Dei, quæ tuum excitabunt intellectum, ſanctoſque in voluntate elicient affectus.

§. 7. Quia Dei virtus manifeſtatura erat meritum adeo ſublime in opere noſtræ Redemptionis, formam accipiendo ſerui paſſus eſt, vt quatenus Paſſioni ſuæ daretur principium, eum Iudas venderet, ſicut fratres Ioſeph eum vendiderunt pretio viliori.

§. 8. Cantando Chriſtus noſtram incipit redemptionem, quia opus eſt amoris, pergit ad montem Oliueti; quia illam miſericordia motus operatus eſt, & anguſtauit ſeipſum in horto Gethſemani (tranſiens torrentem Cedron): quia ſacrificari debebat ad diuinæ iuſtitiæ ſatisfactionem.

§. 9. Ad impletionem oraculi Zachariæ permiſit Deus Apoſtolorum ſcandalum circa Paſſionem mortemque Chriſti: & ille hortum aſcendens, illud ipſis proponit quo præmoneat illos, & Reſurrectionis ſuæ promiſſione confirmet.

§. 10. In oratione qua Dominus æternum ſuum rogauit Patrem iam Paſſionem ſuam ingreſſus, omnium ſtatuum hominibus oſtendit ipſam eſſe medium obtenendi à Deo dona ad victoriam de omnigenis referendam tentationibus.

§. 11. Laxauit Chriſtus timori mortis ſuæ fræna quantum poſſibile fuit quando illam ſibi in oratione proponebat: quia elegit eam pati eo modo, qui ſibi erat acerbior, vt declarat D. Auguſtinus.

§. 12. In ea forma orationis, quam Chriſtus obtulit Patri, nulla fuit oppoſitio ſapientiæ: quam intellectus illius habebat de ſuæ mortis infallibilitate, nec quoad affectus, quibus eam voluntas appetebat: ſed modum declarauit quo diabolum confudit circa diuinæ ſuæ perſonæ cognitionem.

§. 13. In coniunctione familiæ miniſtrorum Pontificum & cohortis Imperatoris Romani ad capiendum Chriſtum, ordinauit Spiritus S. omnipotentiæ eius confeſſionem & redemptionis meritum, quod omnibus cederet in beneficium, Iudæis & gentilibus: quia vt dixit Apoſtolus, nulla futura erat inter Græcos Iudæoſque diſtinctio.

§. 14. Oſculo ſalutat Iudas Dominum, aitque illi. Aue: quia in hoc verbo principium accepit hominum cum Deo reconciliatio. Et ita principio noſtræ redemptionis finis correſpondet, tametſi modis diuerſis.

§. 15. Vt certius milites Chriſtum agnoſcerent, ipſe prodit obuiam illis capere quæ-

rens

rentibus, & voce illa ego ſum, omnes proſternit in terram, ſicut Samſon Philiſtæos mandibula, & armigero ſuo Ionathas.

§. 16. Deiecit milites in terram metus quem de Chriſto perceperunt: proceſſit hic ex lucis radiis de oculis eius Diuinu elucentibus, & efficacia verbi Ego ſum, licet ſumma prolati ſuauitate.

§. 17. In tribus patefecit Dominus ſuam omnipotentiam, poſtquam militibus vires ad ſurgendum tribuiſſet: in cæcitate, qua illum licet ſibi præſentem, non agnoſcunt: in confeſſione qua Saluatorem illum fatentur, vocantes eum Ieſum: atque in eo quod obediant, liberos, permittentes abire diſcipulos, ſicut illis præceperat.

§. 18. Hora vocatur Domini in qua traditus fuit in mortem: quia mors eius ſubiecta fuit eius ſapientiæ, voluntati & potentiæ, & hora ſimiliter fuit militum & miniſtrorum: quia omnium profutura erat ſaluti, & quia in ipſa dedit illis poteſtatem, vt mortem eius executioni mandarent.

§. 19. Cum facultatem Chriſtus miniſtris dediſſet vt eum caperent dicens. Hæc eſt hora veſtra; omnes diſcipuli relicto eo fugerunt etiam ipſi maxime familiares; quia noſtræ redemptionis opus erat ſoli Domino reſeruatum qui teſte Propheta, Torcular ſolus ipſe calcaret.

§. 20. Quamuis Chriſtus potuerit infinita ſua præualere potentia, vt alias fecit, nunc quando capitur poteſtatem conceſſit vt eum ligarent, quo nos ab illis eriperet laqueis quos Adam nobis promeruit.

§. 21. Oſtendit ſe Chriſtus verum Deum in patientia qua pertulit alapam ſibi à milite inflictam in domo Pontificis.

§. 22. Præclarius opus fuit quod conuenire non potuerint teſtimonia teſtium contra eum productorum, quam quod Deus linguas eorum confuderit, qui Turrim Babel erigere conabantur.

§. 23. Vt animos miniſtrorum prouocaret ad opprobria, quibus Chriſtum in domo Pontificis Caiphæ affecerunt, illum hic vt blaſphemum accuſat, zelumque præfert honoris Dei, propria ſcindens veſtimenta. Per hoc finem ſui præſignauit Pontificatus.

§. 24. Serio Pilatus Chriſti cauſam indagauit, quatenus conſtaret quod nullam ipſe mortem ſua dediſſet, ſed vt per eam Regnum fundaret omnino cœleſte, ſicut lamina præfigurauit hyacinthina in Mitra ſummi Sacerdotis.

§. 25. In omnibus tribunalibus Caiphæ Pilati & Herodis, ad quæ Deus Chriſtum trahi voluit, eius declaratur innocentia, vt patebit in eorum ſingulis euentibus.

§. 26. Mors Chriſti ſacrificium fuit pro cunctis mundi ſceleribus: idcirco permiſit Deus vt Pilatus legis tranſgrederetur limites in verberibus quibus iuſſit Chriſtum flagellari, & quod capiti eius imponi mandauerit coronam ſeptuaginta duabus ſpinis horridam cumque in conſpectum populi foras produxerit, exclamans: Ecce homo.

HOM.

# HOMILIA XLVI.
## DE PASSIONE ET MORTE DOMINI.

**In die Paraſceues,**

*Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron.* Ioann. 18.

*Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens in ſimilitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo.* Ad Philip 2.

HODIERNAM ſolemnitatem iudicauit *D. Bernard. iuſtiſſima ratione inſtitutam: quam & maiori celebrare debeamus attentione, compoſitione, pietate, gratiarum actione quam reliquas omnes: nec enim illarum aliqua commodo noſtro conſecrata eſt vberiori: *Nihil vtilius, aut melius potuit mundo commendari quam vt ritu perpetuo celebret, & ſingulis annis memoriale eius eructet.* Quia vt probat D. Thom, feſta decernuntur, iuxta Dei conſuetudinem, vt beneficiorum memoria recolatur, quæ diuina nobis confert Maieſtas, atque pro iiſdem gratias laudeſque rependamus. Etenim hæc dona meditando, & confitendo, pariter & obſequii debitum confitemur. Tanto ſunt autem hæc feſta ſacratiora ac ſolemniora, quanto digniora & cumulatoria beneficia. Quæ ſacra decreta ſunt in eius memoriam, quod Dominus populum Iſrael eduxerit de Ægypto, de dura atque immiti liberans eum ſeruitute, qua ſub poteſtate premebantur Pharaonis? Præcepit illis vt ſolemne illud agerent Paſchale feſtum Agni: quatenus perpetua ſeruarent memoria opus illud ac beneficium, quod Deus in gratiam eorum fecerat omnino prodigioſum: *Erit quaſi ſignum in manu tua & quaſi appenſum quid ob recordationem ante oculos tuos, eo quod in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto.* Quas ſancit vt populus celebret ſolemnitates in memoriam legis datæ, & manu ſua conſcriptæ? Quia beneficia fuerant hæc inſignia: *Conſtituit te diem ſolem nem in condenſis vſque ad cornu altaris.*

Inter omnia beneficia quæ nos homines de manu Dei recipimus, inquit D. Bern. hoc nos maximè deuincit Deoque obligat arctiſſime: quia, vt ipſe probat quod Deus me creauerit, in hoc non laſſatus eſt, non fatigatus: etenim ſolo vnoque verbo totum opus comprehendit. *Ipſe dixit & facta ſunt.* Verum vt me redimeret, quæ non ſæuiſſima paſſus eſt? Vulnera, opprobria, contumelias, ſputa, crucem, mortem. Cui concinit D. Auguſt. *Multum in hoc opere laborauit auctor mundi, nec in omni fabrica mundi tantam fatigationem ſuſtinuit: de mundo enim & his quæ in mundo ſunt, dixit & facta ſunt, at vero pro reparatione generis humani, magnos & multos, & diuturnos labores ſuſtinuit, & dolores. Merito ergo dixerim, hoc vnum omnibus aliis præſtare beneficiis: quippe cum magnum ſit, aliquem ſua gratis alicui conferre, maius certe eſt, ſemetipſum impendere, & cum magna charitatis ſit, animam pro amicis ponere, quod filius Dei pro nobis fecit. Nam cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem eius.* In hoc opere redemptionis extremum charitatis ſuæ diuinæ Deus oſtendit: *Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Si Deus hic vitam ſuam largiatur pro inimicis, quanto maior hæc æſtimanda charitas? Et tali modo eam poſuit: etenim *Factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* In hoc omnis noſtri boni ſumma comprehenditur: quandoquidem per hoc nos à ſummo malo liberauerit, mortem noſtram occiderit vitam noſtram viuificauerit, cœlum aperuerit, liberumque nobis in illud ingreſſum conceſſerit, nam huc vſque nobis hic erat interdictus & occluſus: noſtrum deuicerit inimicum, diabolum ſuperauerit, & inferno ſua ſpolia, detraxerit. Si tanta ſint tamque incomprehenſibilia beneficia, quæ morte ſua nobis præſtitit: neceſſitatis ratio poſtulat, vt & feſta

Margin notes: a. Ser. 1. in Cant. — D. Th. 2. 2. q. 122. ar. 4. (?) — Exod. 12. — Exod. 13. — Pſ. 117. — Ser. 20 in Cant. — Pſ. 148. 5. — D. Aug. Ser. de verb. Apoſt. To. 10. Lide diligen. Deo l. 8. c. 10. — Rom. 5. — I. Paſſionis Chriſti dignitas. — Ioan. 15. 13.

feſta ſint gratiarum actionis, eaque non vulgaribus pateſiant demonſtrationibus, quia iuxta beneficii qualitatem, par eſſe debet gratiſ feſti ſolemnitas.

Hinc intelligemus qua ratione, ſolemnitatem hodiernam attentius inſpiciamus (ſiquidem dies ſit ſummæ triſtitiæ, quia in eo mortuus eſt Saluator noſter) inueniemus nobis diem eſſe feſtiuiſſimum, ſummaque lætitiæ iucundiſſimum: etenim quæ maior eſſe poteſt ratio gaudii captiuo, quam dies ille in quo eius ſoluitur lytrum, & à captiuitate qua tenebatur liber abſoluitur? O quis illo dies iucundior, extremæque exultationis infirmo, qui nouit, quod ad obtinendam ſalutem à longe deferenda ſit illi medicina, quam ille, in quo nuntia ſibi deferuntur quod iam appulerit, & eam ſumendo priſtinæ ſit ſaluti reſtituendus? Si per mortem Chriſti pretium noſtræ ſoluitur captiuitatis, & adducitur medicina, quæ ſalutem hominibus impertiet contra mortalem peccatorum infirmitatem, quis eſſe dies poteſt acceptior, quam ille huius ſacratæ mortis ſolemniſſimus? porro ex altera parte ſi rem penitius conſideremus à nobis cum aſſiduis debet celebrari lacrymis, animo reuoluendo, quod Chriſti mortis impendio noſtra ſit ſalus ab ipſo reparata. Myſticus ille liber Ezechielis ex vna parte cantica continebat exultationis, attamen ex altera triſtes reſonabat threnos, qui lacrymas planctuſque prouocabant. Liber hic totus ſcatens myſteriis Chriſtum repræſentat crucifixum, librum talem vt D. Paulus tanti ſtudii vir ſibi perſuaſerit, quod numquam illi de manibus ſuis excideret; *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum.* Liber hic eſt, eiuſmodi vt nihil aliud ſcire neceſſe ſit, quam quod eius paginis ſcriptum continetur.

*I. In Paſſione Chriſti ratio etiam eſt gaudii.*

*Eze. 2. 9.*

*1. Cor. 2. 2.*

In hoc igitur libro cantica ſunt lætitiæ, ſicut illud exponit D. Ioan. in illis quos aſſtantes vidit coram Agno quaſi occiſo, quem cantibus celebrabant alacrioribus, dicentes: *Qui occiſus es, redemiſti nos Deo in ſanguine tuo.* Vidi quod illi iam liberierant à ſeruitute, & ab illa redempti ſanguine Agni occiſi: vnde in illa morte initium extremæ reperiebant exultationis, qua illam digne celebrarent. Ex altera parte manifeſtantur in illo cantus lugubres & fletus, quandoquidem dum moritur, cælos videamus triſti peplo obductos, terram tenebris lugentem, mulieres pias plangentes: *flentes*: filias Hieruſalem mærore proſtratas: quocirca illo luctu hæc eius mors ſacratiſſima celebratur; cui vero huius pars luctus maxima competit, ipſa eſt mater eius virgo ſanctiſſima: quia ſicut in morte Principum ratio poſtulat vt totum Regnum doloris ſigna exhibeat, ſed cui [illegible] propinquius conuenit oſtendere, mater eſt Principis. Ita ſimiliter in morte ſupremi huius Principis æternitatis primogeniti Chriſti Domini, ſuadet æquitas vt totum mundi Regnum indicia det intimi doloris, aſſumatque planctum, & quidem licet illum in eo cuncta demonſtrarint creaturæ: verumtamen in ſingulari SS. eius Mater hunc teſtatur ſuum extremum animi mœrorem: vnde nobis hæc ſæpe repetit: *Ne vocetis me Noemi (id eſt pulchram) ſed vocate me Mara (id eſt amaram) quia amaritudine valde repleuit me omnipotens.* Vocate me amaritudine plenam: quia in cor meum heu admodum afflictum tota conuenit amaritudo, quam omnes paſſæ ſunt creaturæ: *Magna eſt velut mare contritio tua.* Dicere nobis licet quot ſaltem ſit mare deſolationis: quicumque aquam voluerit pergat ad mare, ibi namque nullæ poſſunt deficere: quia omnes fontium omnium aquæ & fluuiorum ſunt in illo recollectæ: *Sicut in aquas quaſi in vtre.* Nobis hodie neceſſariæ doloris & compaſſionis aquæ vt cum Chriſto dolores eius pœnaſque ſentiamus: ad mare igitur *Mariæ SS,* recurramus, vt nos participes eorum faciat, quibus cor eius piiſſimum affligitur, quæ licet tot oppreſſa doloribus, ſemper eſt gratia plena, illam humiles deprecemur vt eam nobis hoc in tempore conſequatur ipſam Angelica ſalutatione venerando. *Aue Maria.*

*Apoc. 5. 9.*

*III. Maxime tamen triſtitiæ.*

*§. 1. In Paſſione Dei appendit Deus maiorem partem beneficiorum, quæ hominibus contulit: quæ quia talis eſt ſemper habita fuit à multis eorum vt myſterium creditu difficile, & eius intelligentia fidelibus tantum reſeruata perfectioribus, vt ait D. Paulus.*

PRudenter docteque dixit D. Ambroſ. ſi illius ſit ille commentarius, quod eleganter expenderit Apoſtolus præſtantiam beneficiorum Dei referens teſtimonium Iſaiæ cap. 64. Apprimè erat in illis verſatus D. Paulus, & perfectus erat illi amor Dei erga homines, vnde de eorum agens magnitudine, hanc tantam eſſe dicit, vt homo nequeat ea beneficia credere, nec quidem imaginari, niſi Deus ea [illegible]

luce quadam illuſtret particulari. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt; quæ preparauit Deus iis, qui diligunt illum.* Oculi videre non poſſunt, niſi Deus diuina ſua eos corroboret cognitione. *Oculus non vidit Deus abſque te.* Iniungit Deus Iſaiæ vt hominibus annuntiet, quid illis eſſet facturus, & vt eorum exprimeret infallibilitatem, quam cuncta perficeret; illi præſcribit, vt ea dicat quaſi præterita, quæ adhuc futura ſunt: terminus hic eſt formaque loquendi Deo valde frequens cum Prophetis, ob certitudinem qua complerentur ea quæ præcipiebat illis pronuncianda. Cui ſtatim Propheta hanc obiicit difficultatem; *Domine quis credidit auditui noſtro?* Quis iſta credet? Quod Deus moriturus ſit pro homine? Quod Deus effundat pro ſeruo rebelli ſanguinem? Auditum eſt aliquando in mundo, quod ſeruus fidelis pro Domino ſuo vitam ſuam animamque profuderit, & pro Rege ſubditus addictiſſimus, porro quod Rex pro fœdifrago inimico in mortem ſe tradiderit; & Dominus pro ſeruo infideli, quis audiuit unquam tale, aut quis vidit huic ſimile? Quod Rex pro vita formicæ vel vermiculi moriatur, quis hoc ſibi poſſit perſuadere? Hæc eſt illa difficultas, quam Apoſtolus in prædicatione inueniebat Euangelii: *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* 1. Cor. 1. 23.

Et difficultatem hanc clarius propoſuit D. Gregor. interpretatus illa Chriſti verba; *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me;* ex quibus occaſionem ſumpſit, vt illa Apoſtoli declararet, eandem proſecutus difficultatem & ait. *Stultum hominibus viſum eſt, vt pro hominibus auctor vitæ moreretur, & inde contra eum homo ſcandalum ſumpſit, vnde ei amplius debitor fieri debuit. Nam tanto Deus ab hominibus dignius honorandus eſt, quanto pro hominibus & indigna ſuſcepit.* Et concludit quod Dei abiectio & humiliatio, dum pro hominibus mortem patitur, in illis ſcandalum pepererit, vt dicat Apoſtolus, quod ſolum illum audiendo ſcandalizati ſunt. Eſto quod ille populus a Deo fuerit electus, *& iudicia ſua non manifeſtauerit aliis nationibus*, crediderunt quidem quod Meſſias venturus eſſet, ſed non pauper, nec moriturus, nec ſanguinem ſuum effuſurus, nec paſſurus opprobria: quando vero illud audiunt, offenduntur, & ab ea credendo deterrentur: etenim videtur creditu difficillimum, alia de Deo ſentire. Gentiles ſtultitiam arbitrantur, quemadmodum ſi ego dicerem, quod pro vno rebelli Flandriæ, vel Indiarum permitteret ſibi Rex venam incidi, & ſe occidi; quibuſdam arduum videretur hoc ad credendum, aliis autem ſtultum & inſipienter factum. II. Similitudo.

Hoc autem ita verum eſt, vt Chriſtus adueniens & beneficium promulgans quod eſſet mundo præſtiturus, dicat: *Niſi manducaueritis carnem filii hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Solo hoc audito ipſi Chriſti diſcipuli, ſcandalizati ſunt, & ipſo relicto abierunt. Tantum eſt hoc beneficium, vt quia illud ita cenſebant impoſſibile, credere noluerint. Hæc ea ratio fuit, ob quam mundus ita difficulter recepit Euangelium, quia ſibi perſuadere non poterant, quod Deus mortuus eſſet pro hominibus, & hoc ipſi Domino dedecori vertentes, dicebant: Deus, qui patitur & moritur, non eſt Deus: non enim poſſunt credere, quod Deus, licet vellet, tale poſſet præſtare beneficium. Quam appoſite huic intentioni cecinit pſaltes Regius: *Memor eſto Domine opprobrii ſeruorum tuorum (quod continui in ſinu meo) multarum gentium. quod exprobrauerunt commutationem Chriſti tui.* Facile fidem adhibent quod Deus faciat miracula, det ſalutem infirmis, mortuos viuificet; quia cunctis eſſe dat & vitam: porro quod Deus ad tales prolabatur exceſſus, vtpote quod ponat tradatque filium ſuum pro ſeruo in redemptionem, quod filium occidat, vt inimicus viuat rebellis, non capit hoc eorum intellectus, & valde difficilem iudicant hanc eſſe commutationem; & quod peccata hominum transferat in humeros filii ſui; atque in ipſis caſtiget quod ſeruus deliquit reus proditionis. Hoc imprimis operoſum eſt ad credendum, hic offenduntur, hic ſcandalizantur. 3 Ioan. 6. 53. Pſ. 88. 52.

Vt opinor myſterium tetigit Dauid, quod ſibi nouerat contigiſſe, quando Deum deprecaturus pro peccati ſui remiſſione, his eum verbis rogauit: *Peccaui valde in hoc facto, ſed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtulte egi nimis.* Quæ eſt hæc tranſlatio? quæ eſt hæc, quam Dauid poſtulat peccati ſui transmutatio? Deo vult ſupplicare, ut illud in filium ſuum transferat: quia *Poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Ad vniuerſalem peccatorum totius mundi remiſſionem poſuit ea 2. Reg. 24. 10. III. Quid ſignificet transferre peccatum. Iſai. 53. 6.

ea Deus ſuper filium ſuum, eaque ex hominibus in ipſum tranſtulit; atque idcirco rogat David vt ſuum quoque eo transferatur, vt remittatur: in quo ſubtiliter hanc declarat commutationem: cum enim tanta ſit, hominibus videtur omnem fidem ſuperare. *Vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti.* Quod Deus filium ſuum in mortem traderet & paſſionem adeo duram quam pertulit vt ſeruum redimeret infidelem: *Exprobauerunt commutationem Chriſti tui.* In hanc offenderunt homines commutationem. Alia littera habet. *Exprobrauerunt veſtigia Dei:* Textus hebraicus legit: *Calcaneum* Extremum & vltimum quod in Chriſto viderunt fuit hoc quod ſubſannauerunt, & probroſe calumniati ſunt. Quam egregiè deſcribit David, quod cunctis contigit nationibus, quæ prouocatæ calumniabantur: Ecce quis Chriſti veſtri finis, cum etenim crucifixerunt, hic fuit eius finis, & terminus vltimus, per illum namque tranſiuit: *Veſtigia Chriſti tui, aut vncti tui. Hic contra quem Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.* Nihil proponebat aliud D. Andreæ Ægeas proconſul niſi hoc: finem attende illius, quem aſſeris Deum tuum, qui mortuus eſt ad crucem damnatus ignominioſam: verum reſpondit illi D. Andreas. *O ſi ſcire velles myſterium crucis!* O ſi magnitudinem agnoſceres myſterii eius qui mortuus eſt in cruce, quam euidenter intelligeres quanta ſit in illa dignus omni reuerentia! Ita namque credere non poterant homines hoc beneficium eo quod eſſet adeo magnum, & iudicio humano ita difficile perſuaſu quod Deus talia de ſe dare poterat indicia benefactoris hominum, cum tali ſuæ eminentiæ commutatione.

Hoc quia tam excellens eſt, & ideo tantam parit in credendo difficultatem, agendo de morte Chriſti, hoc declarat ex vulneribus eius
Zach. 13.6. vates Zacharias; *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?* Quid hoc Domine mi? vulnera
L. 5. in Zachar. 6. 14. in manibus tuæ Maieſtatis? *Et dices his plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me.* Notanda venit interpretatio Abbatis Ruperti, qui hoc intelligit de vulneribus Chriſti, & ita videtur Eccleſia velle vt intelligamus; etenim illo capite vtitur in Miſſa de Paſſione Domini. Supponamus illud ex Oſee dicente, talia futura
Exod. 33. 19. hæc beneficia, quod *Pauebunt ad Dominum & ad bonum eius, in nouiſſimo dierum.* Hic Patrem intelligamus, & ibi filium; quia Pater vocatur *Dominus Pater,* & filius eſt *Bonum eius.* Ita Deus expoſuit quando Moyſi promittens [de]monſtrandum à ſe filium, illum hoc nomin[e] ſcribit; *Oſtendam tibi omne bonum.* Nunc bene[fi]cium hoc non videmus, & quantum ſit non c[og]nimus, inquit Propheta; porro quando vide[bi]mus id quod Deus Pater fecit pro nobis, ſuum nobis tradens filium, *Pauebunt ad Dominum,* velut ſtupore perculſi ex tanta rerum magn[itu]dine; *Stupore perpetuo.* Continuo p[er]ſeuerabit in illis extaticus ille ſtupor ſicut in Cherubim
Dan. 3. 14. Bibl. 1. Ibid. 14. *Stant expanſis alis facies admirantium præferentes, ſed admirantes;* Percunctatur igitur Rupertus hoc: *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum,* & ait. *Quamdiu putas & quomodo, & a quo, vel à quibus dicetur; Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum.* Quamdiu durat illa interrogatio? Et quis eam proponit? Ad primum reſpondet; *Nimirum in ſæcula ſæculorum* [...] *ſatiabile dicetur.* Aſſiduè. Et quis: *A quo dicetur* [...] verbum impersonale; *à quo fiet interrogatio, à Deo Patre; Quando factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, dicetur ei. Et a ſanctis Angelis qui in eum deſiderant proſpicere, dicetur ei. Et ab hominibus, quos morte ſua redemit, dicetur ei. Quid ſunt plagæ iſtæ &c.* Pater æternus ſemper hoc interrogabit, ſemper iſta intuebitur vulnera; q. d. Semper intuebitur quæ de cauſa inflicta ſint ei hæc vulnera, quia ab ipſis gloria pendet Sanctorum, gratia iuſtorum, pœnitentia peccatorum. Et hæc Angeli [...] nam obſtupefacti ex hominum gloria, qui prius fuerunt peccatores, & redempti ſunt in virtute vulnerum iſtorum paſſionis, mortiſque Chriſti, oculos ſuos ad illa conuertent, vt cauſam eorum redemptionis. Homines illa [...] conſpicient, & ſtupore nimio percellentur; *Pauebunt;* quia in illis conſiderantes quomodo Deus ad illa toleranda ſe humiliauerit, et quod cenſebunt incredibile, & ſumma rapientur admiratione ruminantes quod tanta Deus ad eorum & beneficium & ſalutationem [præſti]terit.

4. Reg. 20. Iſai. 38. Vates Iſaias certum redditurus Ezechiam de ſalute recuperanda, hoc eo tempore futurum affirmans, quo ſpem omnes ſalutis abiecerant, ſignum ei pignuſque ſuæ dedit ſponſionis, quod ſol retrograderetur. Quando vero mundus tam extraordinarium inſpexit prodigium, tantus cunctos percelluit ſtupor & admiratio, vt Reges Babylonis legatos ſuos ad eum miſerint; *Vt interrogarent de portento quod acciderat ſuper terram.* Aſtrologi etiam [...] doctiſ[...]

doctiſſimi, & retroceſſum hunc cognouerunt ſolis, quódque tantum deſcendiſſet, vt judicarint hoc ejus repugnare naturæ, in tantum à curſu ſuo retrogradi quem naturaliter jam perfecerat. Et admirabundi raptique cauſam portenti huius indagarant adeo magni & inſoliti. Tantò præclarius eſt ſignum hoc quod hodie præ manibus habemus, quantò majus & inſolitius eſt portentum Sol Chriſtus eſt, *Sol Iuſtitiæ*: de ſeipſo nobis hoc teſtatur, quòd eſſet, dum ait: *Ego ſum lux mundi.* Et quia de illo eſt, de quo & per quem tota noſtra dependet vita, atque de eius influxibus procedit quidquid gratiæ conſequimur: *Portat omnia verbo virtutis ſuæ*, dixit Apoſtolus, & Vates Malachias: *Sanitas in pennis ejus.* De hoc ſole ſcribit nobis Euangeliſta, quòd retrogreſſus ſit: *Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron.* Et Apoſt. Paulus, quòd retroceſſerit vſque ad mortis occaſum. *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Quòd Deus ſe præſtiterit obedientem, hoc eſt deſcendere de ſummo maieſtatis ſuæ, quia vt eſt Dominus ſupremus & abſolutus omnium creaturarum, proprium Deo eſt, vt illi obtemperetur, non verò vt ipſe obediat. Deſcendit Deus, inquit Apoſt. vt eſſet obediens. Magnus & profundus hic eſt deſcenſus, an hic ſtetit? Nequaquam: quia deſcenſus hic continuauit vſque ad mortem, mortem autem crucis.

*Ioan. 8.*
*12.*
*Heb. 1.*
*3.*
*Malac.*
*4. 2.*

Multum videbatur in Incarnatione ſua deſcendiſſe, & retrogreſſus: *Verbum caro factum eſt*, ille qui *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum*; ab æterno erat verbum æterni Patris, & verbum, quod erat verus Deus, factus eſt homo: porro hodie eſt, in vltima linea: *Mortem autem crucis*. Fieri ne poteſt? Vita mortua, lux obſcurata, ſine ſenſu ille, qui ſenſum omnibus tribuit viuentibus? Et quòd mortem patiatur maledictionis, ille qui ſuas explicat benedictiones tanta creaturis abundantia, vt illis ipſas repleat: *Imples omne animal benedictione*? An illum videmus in cruce morientem: *Maledictus omnis qui pendet in ligno*: ſuprema maledictionum omnium? Portentum eſt, hoc quod totum mundum in tantam ſui conſpectu rapit admirationem, quantam eius motus ſignificant. Sol obſcuratur, terra tremit, ſepulchra aperiuntur, velum templi ſcinditur, totus mundus inuertitur, & commouetur, vt quaſi diſſolui velle videatur: ſicut dixit ille ſubtilis philoſophus, at multò profundior Theologus D. Dionyſ. Areopagita, quando talia notauit in ſole ſigna, taleſque in mundi perturbationes: *Tota mundi machina diſſoluetur.* Grande portentum, inſigne myſterium, ſed non omnibus datum illud intelligere ſolis autem in virtute perfectis. Audiamus de hoc D. Pauli judicium: *Dei ſapientiam loquimur in myſterio quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula ſapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam autem non huius mundi &c. quam nemo Principum huius ſeculi cognouit &c.* quanta eſt illa ſapientia, quæ latet abſcondita in myſterio mortis Chriſti in cruce: ſed tantum tangit iſta perfectos. *Inter perfectos*, quales ſunt Chriſtiani, vt D. Anſel. interpretatur: etenim ceteri hanc non comprehenderent, quinimo nonnulli illam judicarunt vt ſcandalum, alii vt ſtultitiam irriſerunt, quod Deus & quidem pro homine moriatur. Quid eſt homo, aut quæ gratia illius?

*Pſal. 144.*
*16.*
*Deut.*
*21. 23.*

*1. Cor.*
*2. 2. 6.*

Quæſtionem mouet Solomon ad quam ſupponit Dei magnitudinem: *Deus ſolus juſtificabitur* q.d. *integer perfectus* vt nihil illi deſit. *Et manet inuictus Rex in æternum &c. Virtutem magnitudinis ejus, quis enuntiauit? &c. Non eſt minuere, neque adjicere, nec eſt inuenire magnalia Dei &c. Quid eſt homo, & quæ gratia illius? Et quid eſt bonum, aut quid nequam illius:* q.d. Cum Deus talis tantuſque ſit, quid illi cum homine, aut quid illi demit homo ſi malus ſit? quod illi damnum ex impietate illius? Et quod illi bonum, quod commodum, ſi bonus ſit? *Nemo Principum hujus ſeculi.* Non ſapit huius mundi ſapientiam à Deo dari filium ſuum in ſerui redemptionem. An quis ſapiens Rex, vt viuat homicida patibulo ſuſpendet filium ſuum Principem regnorum hæredem univerſorum? Excellens ſane fuit facinus illud ſacrificii Abrahæ, qui filium ſuum Dei gratiâ contendit jugulare. Hoc juſtum eſt, & facile intellectu, quod vt Dei voluntas fiat, quam pluris facimus quàm omnes filios hominum, det Abraham filium ſuum, eumque trucidet in holocauſtum. Verum ſi Deus paratum illum animum, vt opus jam perfectum æſtimauit: licet Deus noluerit vt vlterius progrederetur ad executionem: vnde jam illi parato filium immolare, gladiumque ſtringenti: *Aries illi pro filio oblatus eſt*, Mutauit filii ſacrificium in arietis vnius oblationem, vt ſacrificio Iſaac ſubſtitueretur. Hoc rationi congruebat vt aries filii Iſaac ſuppleret oblationem, cui Deus noluit parcere, vt filius ſupereſſet incolumis. Porro vices has tranſmutemus, & videamus quo poſſit ingenio comprehendi,

*Eccli.*
*18. 1.*

*Genes. 22.*

VI.
Cur
Deus
Iſaac
non autem
arieti
pepercerit.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hendi, quód Pater piiſſimus, Deus ipſe qui arieti non pepercit, vt ſacrificaretur, ne filius Abrahæ immolaretur, & ſaluus euaderet, tamen in hoc ſacrificio crucis velit non parcere filio ſuo primogenito? Numquid Deo aries cui non pepercit, æqualis fuit æſtimationis cum filio Abrahæ vnigenito quem ſibi noluit immolari? quis hæc conſiderans huic myſterio fidem adhibeat? Quód æternus Pater velit in mortem tradere filium ſuum vnigenitum, vt in vita remaneat ſuperſtes mortalis ſuus inimicus? *O ineſtimabilis dilectio charitatis, vt ſeruum redimeres, filium tradidiſti.* Non hæc mundi conueniunt ſapientibus, ſed perfectis, idcirco ad illius declarationem dum Chriſtus in cruce moritur, vult Deus vt ſol obſcuretur. Sol lux eſt hujus ſeculi, quare dicere voluit, nullam eſſe lucem in hoc ſæculo ad illud cognoſcendum. Nullus hominum hoc intellexit, nec ipſi dæmones, nec Angeli, ſic ſentit D. Chryſoſt. ſed nec ipſi diſcipuli, tres licet annos Chriſti claſſem frequentaſſent: *Sed loquimur ſapientiam in myſterio abſconditam.* O quot myſteria quæ ſapientes mundi latent? Quæ noua ſapientia, quæ noua miracula: vt mors viuificet, vulnera ſanent, captiuitas liberet, labor tribuat quietem, Eclypſis illuminet, tenebræ coruſcent, ſitiens ſiti ſua fontes æternos effundat, clauis confixus vt ſe mouere non poſſit nos attollat ad ſummum vſque cœli faſtigium, fatigatus ſuſtentet, infirmus curet, mortuus nos Deus protegat. *Sapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo Principum hujus ſeculi cognouit. Quam prædeſtinauit in gloriam noſtram.* Hoc eſt illud portentum ad ſalutem & gloriam Ezechiæ, quód ſol retrogrediatur: quód ſol juſtitiæ Chriſtus ad gloriam, ſalutemque hominum ita retrocedat vt ad vltimam deſcendat lineam pro ipſis in cruce moriendo: ſic etenim rationi conueniebat: *Formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus.* Noſtri ſimilis factus in noſtrum & ſucceſſit locum. Hoc congruè declaratur per facinus ſerui illius fideliſſimi, qui cognoſcens dominum ſuum ad mortem damnatum ipſe veſtes aſſumpſit domini ſui, ejuſque ſe loco ſuppoſuit, & dominum ſuum à morte liberans, mortem ipſe ſuſcepit, alias domino ſuo inferendam. In locum hominis ſe ſtatuit Dei filius: *Verbum caro factum eſt:* noſtris ſe induit veſtimentis: *Habitu inuentus vt homo:* vnde mortem ipſe pertulit, quam homo pati tenebatur.

§. 2. *Probatur eſſe maximum beneficium Dei, myſterium Paſſionis eius, ex amore quo feruens ſe ad illam obtulit, quia in eo reuelatur latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum eiuſdem, quod ex ſolis obſcuratione, quo tempore patiebatur, a[illegible]batur.*

INnumerabilia ſunt beneficia à Deo nobis præſtita, & infiniti effectus amoris illius erga homines, ſed quod cæteris palmam præripit, quibus illud voluit declarare, hoc eſt quod pro illis mortem oppetierit. Multas aſſerunt SS. Patres rationes, cur ſol in morte Chriſti fuerit obſcuratus, ſed congrua ipſa, quæ eſt quæ huic ſeruit propoſito. Multis Deus hominem beneficiis cumulauit, quando illum creauit, & ad ejus obſequium omnia creauit, & ſi attentè conſiderentur, quidquid creauit, donum fuit illi collatum, cum omnia hominis famularentur obſequio. Antequam crearet illum illi domum ædificauit, & omnibus ei neceſſariis affatim inſtruxit. Magnum tunc amorem teſtatus eſt, quo hominem proſequebatur: veruntamen hoc quod Deus in hac fecit occaſione, fuit, *dare ſua,* ſua bona, ſuaſque diuitias: *Quia Domini eſt terra & plenitudo ejus, orbis terrarum &c.* Et hæc omnia illi tradidit vt ſua: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus:* porro in morte ſua, *dedit ſemetipſum pro nobis vt nos redimeret ab omni iniquitate.* D. Paulus amorem hunc inſcribit fuiſſe nimium: *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, viuificauit nos in Chriſto.* Hic alueum ſuum amor egreſſus eſt. Itaquamuis in myſterio Paſſionis mortiſque Chriſti infinita ſint conſideranda: eſt etenim pelagus in quo grandiores merguntur & pereunt Gigantes; meo quidem calculo quod in illa caput attollit vtpote conſideratione digniſſimum, amor eſt, quo exæſtuans ſe tormentis pœniſque tradidit, & cruci, pro nobis in ca[illegible]turus.

Tantò quidquam eſt dignius æſtimandum, quo ſibi fit, quantò feruentiorem cernimus quo id agitur, eſſe voluntatem. Hoc in Chriſti Paſſione perpende, quàm prompta ardentique ſe voluntate in mortem tradiderit: *Dedit ſemetipſum.* Ipſe fuit qui ſeipſum dedit, nunquam

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mam poteſtatem haberent ipſum capiendi ſi ille refragaretur, & captum non poſſent occidere, niſi ipſo conſentiente: hoc etenim illis teſtatur *Poteſtatem habeo ponendi animam meam.* Quoties conati ſunt illum lapidare, capere, & deorſum præcipitare. verùm quamuis voluerunt: non tamen potuerunt: quis eos impediuit: Ipſe nolens: nunc quidem, capturi eum veniunt, quia ipſe permittit & moritur, quia vult, non quia ipſi volunt. An non liquidò conſtat in hac morte prompta moriendi voluntas. Sed ne tibi perſuaſum habeas, quòd nunc tantum voluit quando mortuus eſt, ſed quòd à primo momento quo Verbum diuinum humanam aſſumpſit naturam in puriſſimæ matris ac virginis viſceribus factus homo, vſque dum exſpirauit, ſemper paſſus eſt, ſemperque pro homine mortuus eſt, quia ab illo tempore præſentes ſibi vidit omnes tribulationes quas paſſurus erat, & omnes ſumma acceptauit voluntate, nec vllum elapſum eſt punctum in quo non pateretur ab eo in quo factus eſt homo: quia in eo inſtanti perfectum habuit vſum rationis, cognouit in illo quanta erat peccati grauitas pro quo Patri ſuo æterno tenebatur ſatisfacere, cognouit & pœnas quæ huic deberent in corpore ſuo reſpondere: & cum diſtincta horum omnium aduerſitatum pœnarumque cognitione, quas erat ipſe toleraturus, mortem acceptauit.

Hoc ipſe Iſaias prædixit: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit:* Ipſe ſacrificari voluit, ipſe locum ſacrificio ceſſit, ipſe facultatem dedit, quâ vitam ſibi tollerent: quinimo hoc ſuis declarauit inimicis Dominus ipſum capere conantibus: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum:* quod idem fuit ac ſi licentiam ipſis ipſe voluntarius indulgeret. Si tanta igitur voluntate pro hominibus ſe tradat in mortem, ingens procul dubio eſt hoc beneficium hominibus conceſſum. Dum ergo filius Dei pro ſalute moritur hominum, eiſque tam eminens confert beneficium donumque gratuitum, ratio poſtulat, vt cetera omnia beneficia quæ Deus contulit per hoc quaſi obtenebrentur: eo quod hoc inter omnia magis reſplendeat, & emineat amplius: vnde ſol obſcuratur, & hoc beneficio cetera diuina omnia obnubilat velumque ne videantur obijcit: quatenus in illo ſolo tota noſtra laboret conſideratio, velut in beneficio recepto à diuinis ejus manibus omnium eminentiſſimo. Quod ſi Deus ſolem creauerit, ut ea videremus, quibus nos affatim cumulauerat:

*Ne memineris priorum, & antiqua ne intueamini:* Iſai. 43.19.
*Ecce ego facio noua.* Hoc beneficium ita ceteris omnem eripit palmam, vt optime conueniat, vt omiſſis ceteris totam ad ſe noſtram capiat memoriam, mentiſque conſiderationem: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum* Joan 3. 16.
*vnigenitum daret.*

II. Magnitudo beneficii paſſionis notatur.

Honorabant Ægyptii Deum ter verbum hoc pronunciando: *Tenebræ.* q. d. *Tam ingens eſt Dei eſſe, vt quaſi in denſiſſimis tenebris ſit intellectus noſter, dum illud conſiderat.* In Domini Paſſione tenebris omnia conteguntur: quia tanta ſunt in ea conſideranda, vt ſubtiliſſimus in eius conſideratione mergatur intellectus. Non hoc capiunt Apoſtoli quando de eo Dominus ac Magiſter eorum diſputat; hæc terrena lux noſtra non ſufficit, quia ſol in hoc myſterio obtenebratur, lux eius hoc minimè manifeſtat, adeo neceſſaria eſt fides diuina & ſupernaturalis, ſine qua illud poſſe cognoſcere ſcio neminem: *Flecto genua mea* (Apoſtolum audi loquentem) *ad Deum Patrem Domini noſtri Ieſu* Eph. 3. 16.
*Chriſti &c. vt poſſitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit latitudo, & longitudo, ſublimitas & profundum.* Debitâ pronus reuerentia Dei accedo præſentiam ſupplicaturus, vt mihi lumen infundat, quo cognoſcere valeam quo tanta aſcendat charitas, quanta illa eſt quam in paſſione morteque filii ſui acerbiſſima declarauit: etenim hic reſplendet latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum diuini amoris: *Quæ ſit latitudo, longitudo, ſublimitas & profundum: ſcire etiam ſupereminentem charitatem Dei.*

Promittit juratque Abrahæ Deus: *Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo:* Gen. 13. 15.
cui confeſtim hoc iniungit. *Perambula terram in longitudine & latitudine, quia tibi daturus ſum eam.* Domine, quæ cauſa latet, vt homini ita quieto & tranquillo qualis Abraham eſt, diuina tua imponat Majeſtas præceptum adeo moleſtum, & quieti contrarium, quo teneatur omnes metiri terras, percurrere Prouincias, viſitare Regna, tamque per varias oberrare regiones, tot luſtrare populos, tamque longinqua peregrinatione & diuturna eiuſdem diſpendia tolerare? Et quidem toto tempore nec propriam illi domum, nec ſecurum præbes domicilium? An ergo vitam debet ducere adeo inquietam Patriarcha tanta pietate conſpicuus, quanta laudatur eſſe Abraham, quam tanta ſemper ſeruauit animi corporiſque tranquil-

III. Cur Abrahæ præcipitur totam terram perambulare.

tranquillitate? Qua igitur de cauſa tantus illi labor imponitur, tamque moleſta ad terrarum longinqua peregrinatio? Hanc arbitror debuiſſe cauſam eſſe, cur Deus voluerit vt totam terræ illius perambularet longitudinem & latitudinem, vt per hoc tantas continens ciuitates, tot populos, tot regna præclara & opulenta, tot montes valleſque fertiliſſimas, tot arua optimè exculta, & fructibus fœcunda, quid plura? tot diuitias, quot ſibi poſteriſque ſuis tradebantur poſſidenda, beneficii perciperet magnitudinem, quod illi præſtabat ex longitudine & latitudine terræ, quam tenebatur perambulare: tantoque gratior fieret in eo beneficii memoria, quantò ex latitudine & longitudine terræ quam illi Deus promittebat, beneficium cognoſceret eſſe cumulatus.

O quanta ſunt illa beneficia quæ Deus homini concedit, nobis filium ſuum tradens vt pro hominibus innocens ipſe moreretur. Non dat nobis in illo terræ regiones ampliſſimas, non luculenta eius bona, non nobis ſydera digito monſtrat, ſed filium ſuum tradit vnigenitum, ita perfectè noſtrum, vt velit quòd vitam ſuam pro nobis in ſacratiſſima ſua paſſione largiatur. Noſſe deſideras quantum ſit illud beneficium? Poſtula à Deo, ſicte monet Apoſtolis vt cognitum tibi faciat: *Quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum*, amoris ſui flagrantiſſimi. Quod ſi tibi tribuat cognitionem amoris ſui diuiniſſimi, magnitudinem intelliges beneficii, & aliter illud cognoſcere aut intelligere eſt impoſſibile: *Vt intelligatis*, quouſque talis tantaque charitas aſcendat, quæ longiùs omnem ſuperat ſcientiam. Immolat Abraham illud ſacrificium ſibi à Deo mandatum: quando iam ſol curſum ſuum perficiens

IV. Sacrificium Abrahæ ex animalibus declaratur, & præcipuè ſopor eius. Pſ. 3. 5.

tendebat in occaſum: *Cumque ſol occumberet*, & tunc, inquit: *Sopor irruit ſuper Abraham, & horror magnus.* Conueniens etenim erat vt ſol occumberet: quia lux eius eo vſque non penetrat, & in noctis caligine capit hoc, quod in ſolis illum nantis ſplendore non intellexerat: *Dictumque eſt ad eum: ſcito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum.* Porro hoc in illo magis admirandum, coniunctio ſcilicet duorum ſibi maximè contrariorum, qualia ſunt: *Sopor & horror magnus & tenebroſus.* *Sopor*, ſomnus eſt adeo dulcis, vt Dauid demonſtraturus quàm dulciter quieſceret, diceret: *Ego dormiui & ſoporatus ſum.* *Horror* tremor eſt toto corpore terribilis, quem timor excitat in eo qui formidine perterretur. Vide num illa ſibi ſunt contraria, quæ pariter in ſacrificio occurrit Abrahæ.

Et hæc eadem miramur in paſſione mortique Domini: *Sopor & horror.* Immenſam conſiderando Dei miſericordiam, qui tanto nos amore proſecutus eſt, vt: *Proprio filio ſuo non pepercerit, ſed pro nobis omnibus tradiderit illum* in mortem, mortem autem crucis: ſoporem prouocat opus hoc inſigne ſomnum in anima: *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei omnibus hominibus.* Hoc ſomnum prouocat animabus ſuauiſſimum, & quiete tecta, & lætitia inenarrabili: *Ego dormio*, ſic ſponſa, *Et cor meum vigilat.* Ego dormio & ſponſus qui eſt cor meum, vigilat q.d. tota ſomni mei requies ex vigiliis procedit ſponſi mei, intenti amoris clariſſimis, quas facit, demonſtrationibus, quatenus ego ſponſa ſuauiter blandeque obdormiam. Verumtamen conſiderando in hac eadem paſſione ſeueritatem diuinæ iuſtitiæ vrgentis, qui hic nobis innoteſcit: *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ in hoc tempore*: heu quantum excitat horrorem. Si talis ſit filius eius, taliterque excipiatur, qualiter nobis in paſſione demonſtratur propter peccata quæ non commiſit, & hic innocens, quid ego faciam, ego qui reus ſum, ego qui deliqui? Si tanta ſeruetur diuinæ iuſtitiæ ſeueritas cum eo, quanta mihi timenda præparatur? Ecce quantum in nobis horrorem excitare debeat Chriſti paſſionis acerbitas. Porro ſiquidem tantum in nobis cauſare debet horrorem, impellit nos tamen, vt ſummo illum amore proſequamur, ex amore tanto quo nos dilexit, pro nobis patiens & moriens. Et ſi in hominibus nequiſſima ſit, ex malitia voluntas illum cruciandi: eſt in Chriſto promptiſſima patiendi voluntas ex benignitate eius, miſericordia & amore feruentiſſimo.

Inſignem nefas ſit præterire philoſophiam patientiſſimi Iob: dum de Deo locutus ſic ait: *Qui ligat aquas, quaſi in nubibus, vt non erumpant pariter deorſum.* Si Deus pateretur vt toto ſuo depluerent gurgite nubes, non difficile aqua decidens totum mergeret mundum, ſed ligatas cohibet, mandatque nubibus ut guttatim eas diſtillent, vt ita commodo ſint telluri, & abſque omni periculo terram fructuſque decorandi. Verum vel ſemel, hominum peccata deleturus, illis hoc permiſit, & tanta deciderunt abundantia, vt aquæ ſuperiora montium cacumina contexerint: nec fuit aliqua fuerit licet altiſſima, quam non

aquarum demerſerit & operuerit abundantia, ſic vt nec homo quiſquam, nec animal, nec planta, nec herba naufragium euaderet, quæ non copioſa illo perierit merſa diluuio. Hoc ipſum, quod in illo conſpicimus, conſiderandum nobis eſt in Paſſionis Domini noſtri dolorum pœnarumque diluuio. Nubes illas verè dixeris Phariſæos, quos vehementer attollebat ventus iniquitatis, quantâ grauidi aquarum abundantia turgebant perſecutionum & pœnarum aduerſus Chriſtum: eò collimabant eorum concilia, id in ſuis agebant conuenticulis, qua ratione modoque illum lapidarent, caperent, perderent: verùm non illis datur licentia quâ voluntatem ſuam exequantur, nec permittit Dominus vt depluant peruerſas ſuas determinationes & praua exequantur homicidæ conſilia. Sibi proponunt die quodam illum deorſum præcipitare: porro hoc non ſunt executi: quis eos cohibuit? Chriſti nolentis voluntas, qui perſecutionis aquas ſuſpendit, vt non toto ſe erumperent gurgite, quamuis permiſerit vt nonnullæ deciderent opprobriorum & calumniarum guttæ quibus illum denigrarent: alias ſuos deſtinant miniſtros vt manus illi iniciant, ſed deluſus eorum eſt impetus: quia nubes illas quaſi ligatas detinuit, vt non quid amplius, quàm ille volebat demitterent. Ceterum nunc, cum tempus appropinquauit, quo perfectè peccatum erat præfocandum & perdendum, licentia datur, vt pro libitu peruerſaque ſua pluant voluntate. *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*: etenim ſua ductus benignitate & amore feruens hominum: *Dedit ſemetipſum pro me.* Se totum malitiæ tradidit Phariſæorum, & executioni eorum miniſtrorum. Hinc factum eſt, vt nihil remanſerit, quantumuis altum, quod aquis non mergeretur, à capite vſque ad pedes. In toto ſuo ſacratiſſimo corpore paſſus eſt Dominus noſter ſicutà planta pedis vſque ad verticem capitis totus infirmus languebat populus, & corpus myſticum vulneribus ſaucium: quandoquidem à viro vulgari vſque ad digniorem peccati omnes decumberent infirmitate: *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Iſa. 1. 6.

Ita nunc quando mergenda erant omnia peccata in aquis pœnarum & paſſionis Domini à planta pedis vſque ad verticem corporis Chriſti naturalis, nulla pars extitit, non demerſa aquis perſecutionis, iræque Phariſæorum: quia tunc permittere dignatus eſt, vt nubes illæ totâ depluerent vehementia, quas vſque modo quaſi ligatas cohibuerat. Ex præfatis intelliges, qua ratione Chriſtus Dominus noſter tanta patiens, vt ad illa declaranda plures requirantur dies, hæc tamen pertranſiit omnia duodecim aut quindecim horarum ſpatio: ab illo nempe tempore, quo captus eſt in horto, vſque dum in cruce ſuſpenſus expirauit. Ratio eſt, quia voluntariè ſe voluit illis tradere, & illi capere eum voluerunt, vt omnia fierent quàm fieri poterant feſtinantiſsimè. Da mihi voluntatem in duabus illis partibus, in Chriſto & in Phariſæis ac miniſtris, in ſingulis earum ardentiſsima fuit voluntas faciendi & patiendi quod ad ipſam ſingulariter pertinebat. Illi nequiſsima flagrabant voluntate Chriſtum torquendi: Chriſtus autem optima & feruentiſsima ad tormenta patiendum. Quanto nubes torrente deciderunt? *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam.* Porro ſi illos aquæ diabolicæ confundant paſſionis, nobis tranſitum dare debent aquæ paſſionis Chriſti, vt cognoſcamus quantum nos tantus Dei conſtringat amor, quem ipſe in morte filij ſui nobis teſtatur, vt tanti beneficij memores non ſimus ingrati.

VI. Chriſti mors voluntaria.

Pſ. 68. 2.

Quando Moyſes brachia ſua ſuſtulit in altum (vt notat Origenes) eadem horâ tenebræ denſiſſimæ incidentes tranſitum occuparunt Ægyptijs, qui aquas maris rubri præfocati interierunt, filijs autem Iſrael liberum tutumque tranſitum præſtiterunt, quatenus per ſtupentes vtrimque maris vndas gradientes euaderent, & viam quâ ſalui Pharaonem effugerent, inuenirent. Verba proferamus Orige. *Sicut Moyſe manum extendente in cælum, tenebræ factæ ſunt ſuper Ægyptios, imago tenebrarum, quæ eos erant comprehenſuræ: ita hora ſexta Chriſto extendente manum in cruce ſuper populum, qui clamauerat: Tolle de terra hunc, & crucifige eum. factæ ſunt tenebræ, & omni lumine ſunt priuati, & imago fuit illa tenebrarum futurarum quæ comprehenſuræ erant gentem Iudæam: quia auſi ſunt lumini vero manus inferre: vnde ex-*

Orige. Ho. 35. in Matth.

*tunc gens illa tenebris eſt impleta, ſicut dicit Propheta: Obſcurentur oculi eorum, ne videant, Lumen autem erat omnibus filijs Iſrael, illuminat enim Eccleſiam,* &c. Per huius SS. crucis merita lucem fidei fideles accipimus, quâ beneficij cognoſcamus magnitudinem, quod Deus nobis contulit pro nobis moriendo, vbi illi damnandis manſerunt inuoluti tenebris, nos illuſtrati ſumus, atque ex illis tenebris lucem noſtram elicimus. *Luceat lux in tenebris.* In medijs tormentorum tenebris quæ Christus patitur, & malitiæ mortalium, nos ipſi lucem amoris eius, charitatis, & iuſtitiæ conſpiciamus.

*§. 3. Effecit amor Chriſti, vt beneficium commune morientis pro omnibus, proprium eſſet ſingulis hominibus: & ita per omnes tranſijt pœnas ſingulis debitas eorum peccatis. Vt autem tibi proſicia, illam conſidera, tanquam pro te ſolo toleratam.*

8 HÆc mors & acerba Paſſio Saluatoris amoris eius peracta virtute feruentiſſima nobis ad ſalutem æternamque ſaluationem, quem non in nobis amorem deberet accendere? Quam prouocare reuerentiam? Quantum ingerere illum amandi deſiderium? Ad huius aſſecutionem, melius & efficacius hoc cenſemus eſſe remedium, vt omnes hos dolores pœnaſque à Chriſto pro omnibus toleratas, quiſque noſtrum ſentiat quaſi pro ſe ſolo perpeſſas. Modum hunc quo nobis Chriſti paſſio & mors ſint vtilitati declarauimus die Iouis præterito ex doctrina quorundam SS. Patrum, nunc autem proſequemur ex auctoritate D. Chryſoſtomi cuius verba adducit D. Thomas quo probet quòd beneficia facta pro omnibus in communi recognoſcere iuſtus debeat ſibi tantum præſtita, quod his verbis explicat: *Hic eſt affectus ſerui fidelis, vt beneficia Domini ſui, quæ communiter data ſunt omnibus, quaſi ſibi ſoli præſtita reputet, & quaſi ſit ipſe omnium debitor, & pro omnibus ipſe ſolus habeatur obnoxius.* Hanc eandem doctrinam (eodem S. Doctore comprobante) dedit in ſeipſo completam D. Paulus in materia de paſsione & morte noſtri Saluatoris: *Hoc fecit & Paulus, qui mortem Domini & Saluatoris noſtri, quæ pro vniuerſo expenſa eſt mundo, ſibi ſoli præſtitam dicit.* Et quaſi pro ſe ſolo Dominus paſſus fuiſſet, loquitur Apoſtolus: *Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui tradidit ſemetipſum pro me.* Quia verò videtur quòd in modo loquendi Apoſtoli fructus Dominicæ Paſsionis ad vnum ſolum parcè nimis limitetur, & vniuerſitas quâ Chriſtus illam pro omnibus tolerauit conſtringatur & religetur ad ipſum ſolum, defendit Doctor hic Apoſtolum, eiuſque quâ hoc dixit, exponit intentionem. Et ſecurè fidem illi poſſumus adhibere in hoc quod circa illam declarat, cum ſæpius viſus fuerit D. Paulus Apoſtolus glorioſi P. Chryſoſtomi auribus adſtare, loquens illi, ſuumque infundens Epiſtolarum expoſitionem: *Hoc autem dicebat, non coangustare volens ampliſſima, & per orbem terræ diffuſa Chriſti munera, ſed quaſi qui pro omnibus ſe ſolum intueri obnoxium. Et reuera quid intereſt, ſi & alijs præſtitit, quæ tamen tibi præſtita ſint, ita integra ſint & ita perfecta, quaſi nulli alij ex his aliquid fuerit præſtitum? Vnde denique & in illa boni paſtoris parabola non dicitur quod venit oues multas quærere, ſed vnam, Vnaquamque eſt, quia ſic omnibus, quaſi vni diuina beneficia conferuntur.* Eo modo eius tibi dantur beneficia, & ſupremum hoc paſsionis communicatur beneficium, quaſi nullus alius ſupereſſet homo, pro quo illa tolerarentur, vel cui communicaretur; proinde ſic tibi in illa ſatisfit & propitiatur, quaſi ſolus eſſes in mundo. Et eo modo pro omnibus paſſus eſt, vt ita pro te ſolo hæc peracta ſint, quaſi tu ſolus eſſes, pro quo deberet mori patique Saluator.

3. p. q. 1. D. Chr. l. 2 de compunct. cord. T. 5.

Notat D. Aug. quòd in illa fidei confeſſione quam protulit de Chriſto D. Thomas, vulnerum eius contrector *Dominus meus, & Deus meus*: expreſſe confeſſus fuerit eius diuinitatem & humanitatem: & huic ſubſcribunt D. Ambroſ. & D. Hilar. Hoc autem hic interim notandum quod ſi D. Tho. Chriſto Dominum & hominem adſcribat, & myſteria depromat diuinitatis & humanitatis, an non ſatius fuiſſet, vt confeſsio tantò foret ſolemnior ſi dixiſſet: *Dominus vniuerſorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*: quandoquidem eo modo locutionis dominium eius extenderet tanto vniuerſalius? & diuinitatem eius vniuerſaliter venerabilem & ab hominibus adorabilem. Nequaquam, ſed benè dicit: *Dominus meus, & Deus meus*, quia non ſolùm confitetur, quis ſit Chriſtus ſed etiam affectum, quo relen-

pro-

ptionem operatus eſt, & fructum quem inde collegit. *Dominus meus & Deus meus.* q. d. Cognoſco te Domine vt talem meque cenſeo ita aſtrictum ac ſi ſolus fuiſſem creatus, & coetum tuum dominium, tuaque diuinitas ad me ſolum conſtringeretur: & confiteor Domine, quod quantumcumque feciſti ad ſalutem hominem in quantum Deus, & in quantum homo, ita mihi ceſſerit in bonum & redemptionem, ac ſi mei ſolius gratiâ cuncta pertuliſſes.

Et ſi Prophetæ Regio dicere licuerit: *Deus meus es tu,* potiori iure licuit hoc D. Thomæ: quandoquidem pro eo veniat ad cœnaculum, pro eo ingrediatur, manus ſuas, pedes latuſque monſtrat, nec non præcipiat vt manibus digitiſque tangat loca clauorum, & manu latus lanceâ perforatum: quatenus innoteſcat, quod totū hoc quod ex ſua lucratus eſt morte & Paſſione, ita congruenter D. Thomæ proficiat, ac ſi eius ſolius intuitu illa paſſus fuiſſet. Et poteſt hanc eandem vnuſquiſque rationem inire: quia ſi pro eo tantum pati debuiſſet, non minus fuiſſet nec maius, ab eo quod fuit factum pro omnibus. Hoc eſt Paſſionis mortiſq; Chriſti myſterium quod aliàs expendimus per manna ſignificatum. Quale manna concluſit in ſe myſterium? qualis hic cibus? quòd fuerit pro omnibus; aptiùs verumque dicere poterat Deus, quòd ſic eſſet ſingulis ac ſi ſolus ipſe fuiſſet, pro quo ipſe hoc concederet, quandoquidem ſaporem illi qualem optabat impertiretur. Eodem ſenſu interpretor illud quod de Deo Pſalmiſta cecinit. *Qui finxit ſigillatim corda eorum.* Quid per hoc ſignificat? quod quaſi ſolus ille fuiſſet nec alium habuiſſet, ſic in omnibus ad eius ſe voluntatem guſtumque conuerteret: vnde ſic tibi ſubuenit, ac ſi ſolus eſſes, cui ſuccurrere teneretur. Atque in hoc patet illud Spiritus S. *Prope eſt Dominus ad menſuram oris tui.* Quòd tibi vicinus adeo ſit Deus, vt quamuis ſic omnibus proſpiciat, ad menſuram oris tui tibi conſulet in omnibus quæcumque ab illo poſtulaueris, eumque ſemper pro votis tuis ſic inuenies paratum in particulari, ac ſi tui ſolius gereret ipſe prouidentiam.

Hoc idem igitur perpende in morte ac Paſſione Domini: pro omnium peracta eſt redemptione, atque pro peccatis omnium fuit capitalis & ſummaria ſatisfactio, ac ſuper abundans; verumtamen ita pro ſingulis, ac ſi ſolus fuiſſet ille pro quo mortuus eſt, & quaſi plura non fuiſſent peccata, quàm ſingulorum in particulari, peracta eſt per mortem eius pœnaſque ſatisfactio. Notandum autem ad huius propoſiti maiorem confirmationem: quòd quamuis contra Chriſtum nihil probaretur eorum, quæ illi obijciebant inimici calumniatores, his non obſtantibus ita caſtigatus fuit ac ſeuerè luit, quaſi reus omnium horum eſſet pœniſque obnoxius. Vt latro flagellis cæditur, vt ſuperbus coronam patitur ſpineam, vt ſeditioſus capitur, vt homicida morte plectitur, vt ſtultus irridetur, & quaſi fuiſſet ipſum peccatum ab æterno Patre deſtituitur: & permittit, vt iuſto ad mortem damnato Barabbas tantorum ſcelerum reus à vinculis liber abſoluatur. Rationem capis? quia tametſi mors eius omnium ſalutem operata ſit, omniumque peccata deleuerit, eaſdem ſubiit pœnas, quas ſinguli pro ſuis peccatis luere debuiſſent. Vnde quamuis nihil probaretur, per omnes tamen tranſit cruciatus ſingulis peccatis in ſua ſpecie debitos, vt pro ſingulis eorum in particulari morte ſua ſatisfaciat. Et hoc confirmari poteſt in Barabba, quandoquidem dum Chriſtus morti vt reus adiudicatur, hic in particulari ab illa quam meruerat, liber morte dimittatur.

Quinimo hoc ipſum Dominus indicauit, quando illum capere quærentibus, cum illis iam plenam dediſſet huic facinori exequendo licentiam, dixit; *Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Notanda venit illa vox illatiua. *Ergo,* nam dicit Logicus illam eſſe notam, ſeu ſignum quod ex antecedentibus ſequens colligit. Sic eſt in Paſſione Domini, ipſe luget, funditque lacrymas, ergo noſtras & ſingulorum abſtergit: ipſe capitur ergo nos & ſinguli liberamur: ipſe moritur, ergo nos & ſinguli viuimus. Ipſe in ſingulis ſacratiſſimi ſui corporis partibus cruciatus patitur, ergo omnium & ſingulorum ſunt deleta flagitia. [Ioa. 18. 8.]

Si tantum ſit beneficium, & ita tui ſolius gratiâ & commodo peractum, perpende quantam à te & à me in particulari poſtulet gratitudinem, quodque à te & à me exigat, vt illi tantas in particulari referamus gratias in eo gradu quo cunctos ſimul ad gratiam impellit tanti doni memoria. Etenim ſicut illud feciſſe ſeu contuliſſe cunctis in generali, non tollit

DDD 2 factum

„ factū conceſſumque tibi, quaſi tu ſolus fuiſſes:
„ ita quod factum ſit pro omnibus, non adimit,
„ vt illi non ita gratus ſis, quaſi tu ſolus fuiſſes
„ tanti beneficij debitor. Vnde tam ſtricta ſan-
“ guinis Chriſti, & eorum quæ pro hominibus
„ fecit, à te ratio poſtulabitur, ac ſi pro te ſolo
„ facta fuiſſent. Aperti ſunt libri (ſic D. Ioan-
Ap.10.12 “ nes) *& alius liber apertus eſt, qui eſt liber vitæ*,
“ vt ex illo omnium eorum librorum acta
“ ſcriptaque iudicarentur. An ergo eædem ra-
“ tionum partes ab vno atque ab alijs exigen-
“ tur? Producet Chriſtus in die iudicij librum
“ vitæ, myſteria ſcilicet vitæ ſuæ, mortis ac
“ Paſſionis. Hic diuinus liber, in quo exaratum
„ eſt quidquid Deus pro hominibus fecit, ille
„ eſt qui aperietur: & pariter libri noſtrarum
„ conſcientiarum aperientur, vt ex illo ſinguli
„ libri iudicentur. Quid ergo: numquid à me
“ poſtulandum eſt omne illud quod hoc in
“ libro ſcriptum legitur? Vtique, & quidem
“ eodem modo ac ſi pro te ſolo fuiſſet con-
“ ſcriptum: quia tu ſolus illi eadem debes obli-
“ gatione reſpondere, quaſi alius non eſſet, qui
“ pro tanto illi gratus teneretur ſeruire bene-
“ ficio. Et debita gratitudinis, quæ in hoc libro
“ conſcientiæ tuæ deſiderabuntur non ſoluta,
“ per ipſum condemnabuntur, ac ſi tu pro om-
“ nibus defuiſſes, & omnes pro te. Quàm
„ ſtricta, dico cum D. Bern. nos manet obli-
„ gatio, quòd Deus nos de nihilo creauerit, illi
“ debemus quidquid ſumus, poteſtque de nobis
“ pro beneplacito ſuo diſponere, nec tamen
“ licet illi replicare. *Sicut non poteſt figmentum*
“ *dicere: Cur me feciſti ſic?* Cum igitur per re-
“ demptionis beneficium nos reparârit, refece-
2.Co.5.15 “ rit, ac redemerit, *Vt qui viuunt iam non ſibi*
1.Co.6.20 “ *viuant*: & hæc omnia maximi pretij diſpen-
“ dio: *Empti eſtis pretio magno*: quantum erit hoc
“ debitum, quo debitores illi conſtringimur?
“ Deinde ſi conſideremus Domine, modum
„ quo nos refeciſti tam moleſto tuæ maieſtati,
„ nobis autem adeò honorabili & proficuo. Et
„ ſicut Deus his omnibus modis ſe totum pro
„ me tradidit, ego ſimiliter pro ipſo tradere
„ me teneor idque modis omnibus illi fide-
„ liſſimum. Hæc omnia nobis exponunt bene-
„ ficij magnitudinem, quo Deus nos in Paſſione
„ morteque filij ſui cumulauit, & obligationem
„ eius iudicauit, cui nos alligauit, vt diuinæ
„ ſuæ ſeruiamus perpetuò grati maieſtati.

§. 4. *Sentite vt proprios, quos Chriſtus perpeſſus eſt, dolores pro peccatis veſtris; & ita colligetis vtilitatem ex Paſsionis Christi meditatione.*

HActenus portentum illud attendimus retrogreſſus ſolis Chriſti vſque ad vltimam Paſsionis illius mortiſque in cruce lineam. Iuſtum eſt vt ad eius inquiſitionem ad illum recurramus, eumque rogemus, vt methodum nos doceat illud meditandi ſicuti diebus Regis Ezechiæ ad conſpectum portenti illius retrogreſsionis ſolis vſque ad vltimam lineam, Regis Babylonis Legati ad illum recurrerunt, qui poſſet hoc illis interpretari. *Reges Babylonis miſerunt ad eum legatos, vt interrogarent de portento illo magno.* Ita quoque ad tantam Chriſti retrogradationem in paſsione ſua, qui meliùs nos modum doceat illam meditandi, præter Apoſtolum Paulum, neminem inuenio. Modus autem quem præſcripſit vt nobis vtiliorem, hic eſt, vt dolores, Paſsionem, mortemque Chriſti in nobis ipſis ſtatuamus vt illos ſentiamus, meliuſque meditemur. q. d. Paſsio Chriſti eo modo conſideranda eſt, ac ſi quiſque ille eſſet, qui patitur. *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu.* Non ſentimus niſi ea quæ patimur: cruciatus illos in nobis ſtatuamus vt illos ſentiamus & illos ſentiemus. Quando Rex Alexander Ionathæ miſit, vt eum ad ſuam traheret amicitiam, ſibique deuinciret præcepit, vt omnia Alexandri ſic æſtimaret quaſi ſibi propria: lex etenim hæc eſt amicitiæ, eoque fine proprium miſit illi veſtimentum in hæc verba, Ad amicitiam noſtram te inuitamus, & hanc purpuream veſtem, & auream coronam tibi quaſi ſignum & pignus amicitiæ mittimus, vt amicus voceris Regis, & quæ noſtra ſunt, ſentias nobiſcum. An placet vobis, fratres mei, Dei conſequi amicitiam in conſideratione Paſsionis & mortis filij ſui? Ad hoc veſtem Chriſti vobis aſſumite, dolorum eius, laborum, vulnerum, mortis & tormentorum. Hæc eſt veſtis Chriſti purpurea: nam de illa locutus Iſaias ſic interrogat: *Quare rubrum eſt veſtimentum tuum?* Et hoc dixit paſsionis eius agens myſteria, & illam nominat veſtimentum rubrum, indumentum ſan-

ſanguineum, vt quæ noſtra ſunt, ſentiamus. Requiritur neceſſariò vt ſentias tanquam proprios dolores & cruciatus quos ipſe pertulit: conſideres illos vt tuos: hoc etenim modo veſtem indues Chriſti, monente nos ad

Rom. 13. 14. hoc Apoſtolo: *Induimini Dominum Ieſum Chriſtum*: q. d. In te ipſo ſentias eius pœnas, hac enim methodo Dei tibi conciliabis amicitiam. Qualiter hoc ſentires, ſi pro ſeruo tuo, eo nullius culpæ reus in vincula conijceceris, flagellis cæderetis, & crucifigeretis? Et quid tui gratiâ famulus ille, qui hoc videret facere teneretur? Et quid ab illo fieri in tuum poſtulares obſequium? Hoc inter alia aliorum habent aduerſitates, vt eas tamquam alienas attendamus: vnde liberè loquimur; & facile de his alijs damus conſilium, & verbis illos demulcemus lenioribus, imo ipſos arguimus, ſi nimis afflictos videamus, ſi in querimonias ſe effundant aduerſa patientes, illos vt puſillanimes & imbellis animi ſugillamus.

I. Certa Iobi aliorum... Hoc eſt quod adeò moleſtè Iob ferebat in amicis ſuis, de talibus expoſtulans calamitatibus, quales erant illæ quibus oppreſſus examinabatur: illi verò virum iuſtum arguebant vt impatientem & querulofum. Mille proferebant illi aliorum hiſtorias, qui grauiora paſſi fuerant, multaſque congerebant rationes, quibus innoxium duriùs increpabant ſe contriſtantem. Excanduit in illos Iob & ait:

Iob. 16. 3. *Numquid habebunt finem verba ventoſa?* An ego numquam tanta finietur iactantia, qua vos inflatis buccis vt prudentes iactatis & ſapientes in iis quæ loquimini, quo vſque tandem audiam verba veſtra, quæ nihil niſi ventum ſpirant; nec meas ſentiunt aduerſitates? *Poteram & ego ſimilia veſtri loqui: atque vtinam eſſet anima veſtra pro anima mea: conſolarer & ego vos ſermonibus, & mouerem caput meum ſuper vos, roborarem vos ore meo, & mouerem labia mea, quaſi parcens vobis.* Si vos ipſi pateremini, & ego vobis adeſſem conſolator, videretis vtrum plura vobis dicerem quàm ipſi dicitis, & vtrum vobis exempla proponerem eorum qui tribulationibus anguntur non cuilibet tolerandis, variaſque in medium adferrem rationes, quæ leues veſtras redderent & tolerandas, loquimini vt ſani ac vegeti, verba tantum ventoſa: non enim grauiorem vobis mea pœna pœnam infert, quam de illa diſſerere, nec tamen illam ſentiatis, vt ego perſentio; ſentite illas quaſi proprias, & vos in medio pœnarum eſſe conſiderate, & mihi credite, alio longè modo loquemini. Et hæc erat illa querimonia quâ Iob contra amicos ſuos expoſtulabat aduerſitatibus attritus acerbioribus, quòd illas attenderent vt alienas & maiori loquerentur libertate, reprehendentes illum, quòd tantopere dolens ingemiſceret; qui quotidie has illi exacerbabant, & ventoſa verba loquebantur, cum nec vnus eorum calamitates eius in ſeipſo pateretur.

Sic plures inuenias qui de Chriſti cruciatibus eiuſque paſſione diſcurrunt eleganter. Teipſum eius loco ſubſtitue, & in teipſo ſenti, quod ipſe ſenſit atque eo modo de Chriſti paſſione vt par eſt proloquêris. Nec quid magnum effeceris ſi eius te loco ſubſtituas & quod in ea peractum eſt, ipſe patiaris: quandoquidem ipſe vt illud pateretur tuo ſe libenter loco ſtatuerit: & cum Dominus eſſet, nulli culpæ obnoxius, pœnas in ſe ſuſcepit ſerui, eiuſque condignas ſcelêribus. *Qui cum in forma Dei eſſet.* &c. *formam ſerui accipiens*, quaſi ipſe reus eſſet & peccator, omnium noſtrum, qui tales eramus, ſuſtinuit pœnas. Teipſum eius loco ſubroga: & conſidera quòd iuſtus ſit, & tuæ ſalutis gratiâ patiatur, cum nihil ipſe deliquerit. Si tu Rex eſſes, & pro ſalute vitaque ſerui, eius te pallio veſtires atque permitteres, vt omnibus te punirent cruciatibus talis ſerui rebellioni debitis; imò grauioribus quàm ille mereretur atque in eis nec os aperiret, quomodo patiens hoc tolerares, ſi patereris illum tibi contumacem? Igitur attende quàm grauiter tuam Deus rebellionem ſentiat, in ſceleribus illis quibus diuinam eius prouocas maieſtatem: poſtquam intellexiſti quòd cum Dominus, eſſet veruſque Deus, homo fieri voluerit, locum tenere ſerui, tantum vt tui gratiâ qui ſeruus eras, pœnas ſuſtineret ſceleribus tuis culpiſque correſpondentes: Eia igitur illas attende vt proprias, quas Chriſtus patitur eiuſque in te dolores experire. *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto Ieſu*: hoc etenim modo conſiderata & appenſa Chriſti paſsio maximum tibi adferet emolumentum.

III. In nobis ſentiêdū quod fuit in Chriſto.

IV. Præceptum Domini legimus in Deuteronomio, vt ſi quando cadauer hominis in via reperient

perirent diligentem facerent inquiſitionem vt homicidij reum indagarent, & non inuenientes, ad populum metirentur magis vicinum, qui doloris ſigna ſuper defunctum ederet ſingularia. *Quando inuentum fuerit in via hominis cadauer occiſi, & ignorabitur cædis reus, metientur à loco cadaueris ſingularum per circuitum ſpatia ciuitatum, & quàm viciniorem cæteris eſſe perſpexerint*, &c. In hac mundi via cadauer hodie reperimus hominis occiſi, Chriſti ſcilicet Domini noſtri, *De torrente in via bibet*: ſcilicet in monte Caluariæ cernimus illum crucifixum, nec homicidij reus inuenitur, Pilatus accuſatus reſpondet; non ego Chriſtum occidi: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius*. Atque ad eius confirmationem quod in hac eius morte nullam haberet ipſe culpam, manus ſuas coram tota lauit ſynagoga Iudæorum. Iudæi ſe ſubtrahunt ad latus & Præſidi reſpondent: *Nobis non licet interficere quemquam*. Nos illum non occidimus: eſt etenim hoc nobis illicitum. Herodes in ius vocatus ſe expurgat, quòd illum ad Pilatum remiſerit nihil dignum morte ei inferendo. Iudam audio proteſtantem, ego proteſtatus ſum eum iuſtum eſſe, nec volui eius mihi mortem imputari, idcircò & pecunias facti pœnitens retuli, quas ex iuſti ſanguinis iniuſta venditione receperam. Diabolus ait, non illum ego interfeci: etenim debitam feci diligentiam per vxorem Pilati, vt prudens marito ſuaderet, vt virum hunc vtpote innoxium ſanctumque abſolueret. Tandem nullus culpandus de Chriſti morte quis inuenitur, videmus tamen Chriſtum in cruce mortuum & occiſum. Legis igitur decretum obſeruetur, & à cruce (in qua illum cernimus) metiamur ad cor vniuſcuiuſque, quiſnam ſit illi vicinior. O peccator quàm illi vicinus es, quam tibi proximæ illæ ſpinæ, quas ſacro eius capiti cernis infixas ſuperbiæ tuæ, quandoquidem ad illius pœnam tempora eius diuina penetrârint; Quàm propè illæ manus auaritiæ tuæ, quandoquidem propter illas clauis confixæ fuerint & terebratæ manus Saluatoris! quàm proximi ſunt illi pedes, tuis greſsibus inordinatis pedumque tuorum velocitati quâ ad grauem Dei feſtinant offenſam: cum pro illis harpaginibus in cruce defigantur? quàm vicinum corpus illud ſanctiſſimum, tot flagris conciſum, tot vulneribus ſaucium ex ſuperfluis & exceſsiuis delicijs quibus illud tuum enutris delicatule, quandoquidem vt pro tuis voluptatibus Chriſtus ſatisfaciat, tot vulneribus plagiſque luat, quot in cruce perpendis ignominioſa? Non hoc tuam fugiat conſiderationem, quòd tu tuaque peccata, ea ſint quæ Dominum noſtrum in cruce confixerunt: quatenus ex hoc eius dolores ſentias quaſi proprios, & illos in te ipſo ſtudeas perſoluere, ſectus exemplum Apoſtoli qui ſibi ipſi Chriſti mortem adſcribebat, dicendo: *Tradidit ſemetipſum pro me*. Inquiris pro quo mortuus ſit Chriſtus? Hoc ſcias me huic morti cæteris eſſe viciniorem: quia mei causâ illam tolerauit, quia primus ego fui peccatorem & omnium nequiſſimus, & venit Chriſtus in mundum, & mortuus eſt in illo vt peccatores iuſtificaret. *Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum*. Eodem modo tibi conſiderandum eſt, te ipſum eſſe pro quo Chriſtus mortuus eſt, quodque tanquam morti huius adeò vicinus, ſentire debeas vt proprios dolores illos, quos in illa Dominus hic pertulit pro te particulariter.

Alle-gloria. Deut. 21. 1.

Pſ. 109. 7.

V. Chriſto applicatur.

Mat. 27. 4.

Io. 18. 31.

VI. Peccator eſt maxime vicinus Chriſti paſsioni.

*§. 5. Vt Paſsionis illius meditationi afficiamur, poſuit in illa Dominus ſub acerbitate eius & doloribus dulce ſalutis noſtræ remedium: materia hæc ea eſt, in qua multum poteſt noſter proficere intellectus, & voluntas allectari.*

POrro durum videtur contemplari Chriſtum Dominum noſtrum mortem perpeti adeò inhumanam & Paſſionem adeò acerbam plenamque ſubire doloribus. Quæ namque conuentio nomini Paſſionis cum nomine Ieſu? Paſſio nomen eſt immanitatis, Ieſus nomen eſt ſuauitatis. Paſſio mortem præfert, & Ieſus vitam. Paſsio ruinam minatur, Ieſus ſalutem repromittit. Paſsio quæ ſonat amaritudinem, & Ieſus quod reſonat dulcedinem. Quæ tam hæc coniunctio vt rara, ita ſingularis? Myſterium inuoluit eminentiſsimum: non enim ſine cauſa mater Eccleſia voluit hanc alijs diebus facere coniunctionem in titulo quem præfigit Euangelijs, in quo referunt Euangeliſtæ hanc Chriſti Paſsionem: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti*. Et quantum conijcio, nos impellit vt cognoſcamus in hac S. Paſsione im-

plum

ſertum illud ænigma Samſonis: *De comedente exiuit dulcedo*, id eſt fauus, mellis, quod in ore leonis apes compoſuerant. Ideo mors eſt, cuncta deuorans: in huius ore compoſuit apis illa Christus fauum dulciſsimum: quia in morte omnem noſtram ſtatuit ſuauitatem, Origen. cauſam expendit ob quam dixit Salomon, *Vade piger ad apem*, & non *ad apes*, Ita legit Origen hunc locum: nam verbum hoc *ad formicam* quod habetur in vulgata, legit ipſe *ad apē*: & quærit, cur non dicat, *Vade piger ad apes* in plurali ſed in ſingulari *ad apem*. Qui a reſpondet, quamuis multæ fuerint apes quæ fauos compoſuerunt dulciſsimos, tales ſunt extra omnem comparationem illi quos omnes Prophetæ nobis ſcriptos tradiderunt de altiſsimis fidei myſterijs. Verum ſuper hæc omnia myſteria ab ipſis exarata, diuina hæc apis Christus ex tenam nobis reliquit dulcedinē, quam ex precioſa eius morte hauriamus. Et quamuis omnes meditationes actorum SS. ſint ſupra modum vtiles, & non vulgarem pariant ſpiritui dulcedinem: cum omnes fuerint apes argumentoſæ, quæ toto vitæ ſuæ decurſu virtutum opera collegerunt eminentiſsima, quibus mortem ſuam redderent dulciſsimam, attamen meditatio quæ ceteris palmam eripit dulcedinis, eſt apis illius primæ Christi, quem Orig. inſcribit: *Princeps apū*: quia *ſugit mel de petra*: de petra inquam contradictionis, de clauis, flagellis, ſpinis, & cruce: mel ſutit tot donorum ac beneficiorum, quæ per mortem eius accipimus: huc nobis recurrendum ad capiendam dulcedinem: hic ſuauia latent intellectui quæcumque capi poſſunt myſteria. *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Christum & hunc crucifixum* aiebat Apoſtolus: nullam aliam inquiro Vniuerſitatem quàm Hieruſalem, nec aliam claſſem quàm mōtem Caluariæ, nec cathedram aliam præter crucem, nec lectorem alium cathedraticum, quàm crucifixum, nec litteras alias quàm vulnera nec virgulas alias, ſi te diſtinctiones, quàm vibices & cicatrices, nec alia puncta, quàm clauos: & tandem non alium deſidero librum quàm apertum & ſanguinolentum pectus Christi Saluatoris.

Illud quod vulgariter legimus: *Inſtaurare omnia* transfert D. Hieron. *Recapitulare omnia*, vt ſignificet omnem doctrinam, omnemque ſcientiam in Paſsione Domini eſſe recapitulatam. In cruce, in inſigni illa Cathedra talia docet diuinus hic Salomon, vt merito obſtupeſcat Regina Saba, id eſt anima noſtra: eſt illa crux clauis Dauid quæ myſteria reſerauit præclariora, fideique Sacramenta profundiora. In hac paſsione poteſt intellectus clariùs Dei cognoſcere diuinitatem, quàm in alijs eius operibus, imo quàm in ipſis miraculis: hic eum diabolus, hic eum Centurio cognouit: *Verè Filius Dei erat iſte*. Hic intellectui patet luce clariùs ipſa Christi charitas, qui pro nobis mortem patitur ignominioſam. Eius pietas: nam à Patre fuit exauditus *Pro ſua reuerentia*: paupertas: etenim nudus omnibus moritur: eius fortitudo: nam *Omnia trahit ad ſe*: Dei omnipotentia, quæ vincit omnia: Dei magnificentia: qui propriū tradit filium: Dei miſericordia, qui tanto nos pretio redemit, & acquiſiuit. Hic interius legitur animæ immortalitas: cum pro illa moriatur Immortalis. Hic peccati grauitas, quod tantam requirit curationem, tantamque medicinam. Hic orbis ingratitudo, qui mortem illi infert à quo vitam accepit. Hic Dei bonitas, quæ vitam largitur ei, qui mortem eius machinatur. Hic interiùs de Christo paupere poſſum addiſcere, qualiter Christum induam coronatum: qua ratione Chriſtum induam felle potatum & aceto: qua ratione me debeam fouere delicijs: hic intelligo ex Chriſto rogante pro crucifixoribus qualiter ſumere debeam vindictam: ex Chriſto in cruce qualiter ad quietem ſit mihi recumbendum: ex Chriſto mortuo, qualiter mihi viuendum: quid plura? poteſt intellectus tantum addiſcere quantum illi opus fuerit in hac claſſe: hic noua videbit miracula, quòd ſcilicet mors viuificet, vulnera ſanent, ſanguis emundet, dolor lætificet, plagæ tribuant refrigerium, eclipſis illuminet, ſitiens det potum, crucifixus nos ſuſtineat, laſſus ſuſtentet infirmus curet, & mortuos nos Deo regeneret. Ecce quantum hic proficere poſsit intellectus.

Hæc bona omnia Dauid Propheta ſanctiſſimus lumine fidei reuelauit in Chriſto crucifixo in monte Caluariæ, & ſummopere deſiderabat eo vſque in altum euolare vt hoc contemplari poſſet, & affectum ſuum declarat optando ſibi pennas, alaſque ad montem hunc aſcendendi. *Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ & volabo & requieſcam*. Nihil ſic poteſt in-

Prou. 6.

I. Christus apis optima.

Pſal. 113.

1. Cor. 2.

II. Omnis doctrina

in Chriſti paſſione cōtinetur

Mat. 27. 54.

III. In Chriſti paſſione

noſtra eſt integram mihi quietem confirmare, quàm me-
requies ditatio Paſsionis Chriſti, crucifixi in ſubli-
& refu- miori montis Caluariæ faſtigio: ibi namque
gium. cuncta mea bona reperio, quia omnia ſingulis
proſunt. Poſſemus & nos hæc eadem verba
nobis aſſumere, & ore noſtro cum illo profari,
O quis mihi pennas tribuat columbæ quibus
altiora petam montis Caluariæ intellectus
mei meditatione, nec à volatu deſiſtam donec
eo acceſſerim Chriſtum in cruce contem-
plando! etenim ſi vt par eſt illum fuero me-
ditatus, tanta reperiam bona; in quibus per-
petuam meam ſtabiliam quietem, vt ad eum
Pſ. 03.18 accedendo ſim quieturus. *Volabo & requieſ-
cam.* Hic etenim noſtrorum eſt remedium
malorum, noſtrorum medicina vulnerum,
noſtræ pretium redemptionis, noſtræ mors
mortis, & noſtræ vita vitæ. Hic myſtica ſcala
Can 2.14 Iacob erigitur, in qua recumbens Deus cœli
portas aperuit, vt homines in Angelos muta-
ti eò poſſint aſcendere. Hic arbor plantata eſt
vitæ, quæ fructus profert omnigenos, quibus
primæ illius tollatur buccellæ venenum. Hic
ſecundus eſt Adam manus extendens ad arbo-
rem, vt damnum auferat, quod primus intulit
manus extendens ad prohibita. Hic petra con-
ſpicitur quæ tormentis percuſſa innumeris a-
quas effundit redemptionis noſtræ ſuauiſſimas,
oleum noſtris curandis vulneribus efficaciſsi-
mum, & balſamum noſtris leniendis vlceribus
aptiſsimum. Hic petram habemus de qua ca-
nitur: *Petra refugium herinaceis*, vel cum aliis:
*Leporibus* Petra facta antrum & aquarum
ſtagnum, vt eò nos languentes intremus & à
canibus protegamur infernalibus. Hic ca-
uerna patet ad quam ſponſam ſibi chariſsimã
ſponſus inuitabat, *Columba mea in cauernа
maceriæ.* O quàm ſecurus eſt, Domine mi, qui
per tuas illas ingreditur plagas, ille qui ſe ſub
hoc ſpinoſi capitis ponit vmbraculo; ille qui
ad manuum iſtarum pedumque in cruce fixo-
rum feſtinat refugium, ille inquam qui ſub
vmbra huius diuinæ ſe protegit arboris? Eò
intellectu noſtro aduolemus, aſcendamus, &
cœleſtem audiemus cathedra cum doctrinam
prælegentem adeò ſublimem, qualem num-
quam audiuimus. Optimum noſtrum inuenie-
mus Paſtorem, qui eò vſque aſcendit, vt quæ-
reret vocaretque ouem perditam & aberran-
tem: racemum terræ promiſsionis habebimus,
qui in torculari exprimitur, vt vinum effundat
quo vulnera deſcenderis ab Hieruſalem in Ie-
regrentur. Si tantum inueniat hic quo ſe paſcat
intellectus, merito poſtulat Dauid ſibi à Deo
concedi columbæ pennas, quibus ſurſum euo-
let, atque in tanta myſteriorum altitudine
conquieſcat.

Si tantum adferat intellectui commodum Paſſio & mors Saluatoris, non minori cumulabit voluntatem: quia lux illa cœleſtis ſolis Chriſti nedum illuminat, ſed etiam accendit, inflammat cordaque liquefacit. Idcirco ait D. Bern nihil ſic voluntatem afficere, ac Paſſionis Chriſti meditationem. Quòd ille me creauit, & cetera mei gratiâ, magnum eſt & amari me pro hoc meretur: porro potiori longè iure hoc meretur, quia me redemit, ait idem Doctor, & rationem adfert quâ illud confirmat. Quia vt me crearet, non laſſatus eſt, nullam tulit moleſtiam ſolo ſuo verbo totam hanc adeò inſignem eduxit machinam, animam meam mundique pulchritudinem, *Ipſe dixit & facta ſunt.* Verùm vt me redimeret tri- triginta tribus laborauit annis: quando quidem à primo inſtanti quo ſe verbum diuinum humanæ ſociauit naturæ in caſtiſsimis puriſsimæ Virginis viſceribus, vſque dum in cruce ſpiritum emiſit, totum Paſsio fuit & cruciatus, nec momentum aliquod huius temporis elapſum eſt, in quo non pateretur. Quos dolores, quos non paſſus eſt cruciatus? quas pœnas, quas non ſenſit anguſtias? Me de nihilo creãs opus effecit ſua dignum maieſtate: verùm me reparans & redimens ſe rebus ſubiecit adeo vilibus, & ſupremæ ſuæ celſitudini contrariis, vt omnino videantur illum homines non agnoſcere, *Vnde nec reputauimus eum*. Inſigne nobis proponit ſubiectum Paſsio Saluatoris; Paſsio quæ noſtram docet ignorantiam, noſtram emollit ferocitatem, noſtram roborat infirmitatem, noſtrum confirmat timorem, benignam reddit & amicam noſtram immanitatem, noſtram inflammat tepiditatem, noſtram vrget acediam, noſtras emundat maculas, noſtros lætificat dolores: ſi iaceamus infirmi, nobis impertit ſalutem, ſi mortui ſumus nos viuificat, ipſe eſt portio, & opulentum omnibus malis noſtris pœniſque remedium. Quo animo idcirco voluit Chriſtus paſsionis ſuæ perpetua ſeruare veſtigia, nec illa voluit de corpore ſuo vulnerum aboleri ſignacula, vt ne vel quidem momento temporis è noſtra labere-

ino-

memoria continua eiuſdem piaque meditatio vt cum Apoſtolo dicamus, *Non enim iudicaui me ſcire aliquid inter vos, niſi Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum*: hanc prædicent concionatores, hæc martyribus proponatur, hanc contemplentur Doctores, Virgines perpendãt, reuoluant cõtinentes, & generaliter omnes his ſua ſtudia mentem que comprehendãt. Hic conſiſteret intellectus, hic paſcatur voluntas, eſt etenim theſaurus tantorum bonorum, vt omnes in illa reperiant vnde diuites euadãt.

V
Quid per Paſsionẽ hic intell. poſsit.

Duo poſſumus intelligere ſub hoc nomine Paſsionis in Chriſti Paſsione, & in duobus illis materiam inueniemus in qua multum addiſcamus. Vel poſſumus humanas intelligere paſsiones, etenim noſtram accipiens humanam naturam, eas pariter aſſumere non dedignatus eſt; vel pœnas quas decurſu vitæ ſuæ pertulit, vel tantum cruciatum crucifixionis, vel illud ſatis durum quod ſuſtinuit ab horto vſque ad vltimum vitæ ſuſpirium. Atque in his omnibus tanta nobis loquendi materia ſuppetit, vt noua ſemper motiua ad nouas recurrant meditationes. Sunt nonnullæ paſsiones naturales, quæ remanſerunt ex peccato Adæ, quales ſunt mors, fames, ſitis, fatigatio, & alia multa mala quæ ad numerum reduci eſt impoſsibile. Ex his illas aſſumpſit Chriſtus quæ muneri conueniebant Redemptoris & Magiſtri quo ipſe fungebatur: vnde nec peccatum habuit, nec peccati fomitem vt cum Theologis loquar: quia ex illis paſsionibus hoc aſſumpſit quod erat neceſſarium, peccatum autem non erat neceſſarium, imò redemptioni repugnabat, quam operari debebat pro peccatis noſtris culpiſque ſatisfaciendo. Nec eas ſimiliter aſſumpſit, quæ perſonas ſequuntur particulares, vt ſunt febres, podagra, colica, dolor lateris, & aliæ quibus miſeri ſubiicimur: quia illæ ſequuntur in homine ex defectu virtutis formatiuæ, vel ex inordinato viuendi modo, nihil autem horum potuit eſſe in Chriſto: corpus etenim eius formatum credimus operâ Spiritus S. fuitque vita ordinatiſsima. In ceteris *debuit per omnia fratribus aſsimilari*: de his paſsionibus modo non agimus. De illis autem poſſemus intelligere: quas Chriſtus paſſus eſt toto vitæ ſuæ decurſu: nam vt diximus, totus hic paſsio quædam fuit, & conueniens eſſet Euangelio titulus: *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti*, quia in conceptione ſua mortem acceptauit, vnde ſemper in ſua voluntate moriebatur. Deinde in ſuo intellectu ſemper diſtinctè præſentes habuit omnes Paſsionis ſuæ cruciatus: vnde numquam viſus eſt ridere, bene quidem lachrymari, & ſæpiùs illos ſigillatim Apoſtolis ſuis enarrauit; & quid eſt quod in vita ſua non tolerauit? Paſsionem famis, quam D. Baſi. probat eſſe fortiſsimam: hanc expertus eſt, & pertulit abſoluto ieiunio quadrageſimali: *Poſtea eſuriit*. Paſsionem ſitis ipſe Samaritanæ declarauit, quando oppidò laſſus veniens ad crepidinem putei poſcit ab illa potum. *Mulier da mihi bibere*. Quinimo cruci affixus ſitique afflictus exclamauit: *Sitio*, & quamuis D. Auguſt. & D. Bernard. ſitim hic intelligant ſpiritualem, poteſt tamen de ſiti corporali explicari ex fatigatione; *fatigatus ex itinere ſedebat ſic*. De quo fuſè diſputat D. Auguſt. Etiam licet intelligere per nomen paſsionis exſpirationem, quam oculariter in Chriſto videbant. *Ieſus clamans exſpirauit*. Hæc omnia capi poſſunt de Paſsione Domini noſtri.

*Hom. in diuites Auaros.*
*Mat. 4. 2.*
*Ioan. 4. 6.*
*L. 3. de cõ. c. 20.*
*Tract. de paſ.*
*Tract. 15. in Ioan.*

VI
Sed principaliter ſignat cruciatus.

Porrò quod hic principaliter materiam ſuggerit meditationis ſunt cruciatus illius, pœnæ, dolores & ignominiæ quas pertulit à cœna vſque dum in cruce exſpiraret, & hoc hodie tractamus: O ſylua tormentorum! O materia cruciatuum! O abyſſus pœnarum & oceanus iniuriarum profundiſsimus! Hic videbis quod nec momentum temporis à pœnis liberum illi conceſſerint. Vnus illum pecuniâ diſtrahit, hic illum emit, alter capit, ille ligat, alius ſubſannat, iſte laceſsit opprobriis, alter interrogat, hic falſos inquirit teſtes, alius contra eum mendacia deponit, vnus accuſat, hic ſputis conſpergit, ille faciem obuelat, alter colaphis contundit. Vnus veſtibus exuit, alter flagellat, ille ſpinis coronat, plures irriſoriè illi genua inclinant. Vt reus trahitur de iudicio ad iudicium, de tribunali ad tribunal, de opprobrio ad opprobrium, de ſupplicio ad ſupplicium: de Anna ad Caipham, de Caipha ad Pilatum, de Pilato ad Herodem, de Herode ad Pilatum. Aduerſus illum cogunt concilia Principes, vociferantur plebei, Gentiles feroces inſoleſcunt, cruce premitur onerosâ, ſaliuis maculatur, pœnis repletur: tandem pro molli lectulo crucem illi ſternunt, pro ceruicali dant ſpinas, pro

plumis quietis clauos, pro cibo fel, pro potu acetum, & pro reparatiuo mortem. Ecce nunc quid in hac ſit Paſsione medianſum, in quo voluntas paſcatur, & illumineur intellectus.

*§. 6. Ne in ſuperficie moreris hiſtoriæ Paſſionis, mortiſque Chriſti, ſed illam conſidera vt Euangelium, atque in illa reperies magnalia virtutis Dei, quæ tuum excitabunt intellectum, ſanctoſque in voluntate elicient affectus.*

☞ 14. VT ad magis ſingularia tractanda pergamus Paſſionis Chriſti myſteria, dico bifariam hanc poſſe conſiderari, vel per modum hiſtoriæ, vel vt Euangelium. Si ſpectes hiſtoriam, mors eſt reuoluenda viri innocentis, abſque culpa, qui tradatur, flagelletur & crucifigatur ab inimicis ſuis malitia & paſſione peruerſiſſimis. Si conſideres vt Euangelium perpendenda occurrunt præclara bona quæ illa complectitur vt ante diximus: eſt enim Paſſio Chriſti theſaurus, ex quo prodire poſſunt mortales valde perfecti, in virtute promoti meritiſque ditiſſimi: & hoc proprié eſt Euangelium. *Virtus enim Dei eſt omni credenti.* Vt Euangelium hanc prædicauit Apoſtolus, dum ait; *Sapientiam loquimur inter perfectos, ſapientiam non huius ſeculi.* Sapientia Dei latuit in hac morte, quia *reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius*: quia in ea confœderationem Dei cum hominibus concluſit. Eo modo Chriſtus illam conſiderauit, quando ait. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit multum fructum adfert.* Hanc Paſsionem & mortem expendit tot refertam bonis, licet in ſua terribilitate abſconditis, quando ita clanculum & ſecreto eius rationem Apoſtolis ſuis explicauit; totque complectitur Sacramenta, vt ea ſapientiâ clariſſimi nequeant penetrare, ex ea D. Paulus hanc cœpit effari ſapientiam; *Inter perfectos.*

Io. 12. 24.

I. Paſsio quomodo conſideretur vt hiſtoria.

Velut hiſtoria conſiderabitur, quod ſub imperio Tiberij Cæſaris Chriſtus Ieſus vixerit vir innocentiſsimus optimus, iuſtiſsimus, Deus & homo qui contra iuris ordinem iniuſtè fuit accuſatus & condemnatus à proprio ſuo populo ad mortem crudelem, immitem paſsionem & acerbiſsima tormenta: & eo modo perpenſa magnam Dominus hic prouocat compaſsionem: etenim nunquam aliquis tantopere luit, fuitque vt ipſe tam dirè caſtigatus. Excedit hæc paſsio martyrum omnium paſsiones: quia in ipſo ſenſus omnes fuerunt viuaciores: quia pars ſuperior ſenſus partemque inferiorem non ſolabatur, nec accurrit diuinitas ad pœnarum ſubleuamen quas ſenſus acerbè nimis perferebant. Caro illius tenerrima erat: in omnibus bonis ſuis patiebatur, honore, corpore, & vita, & in toto ſuo corpore ſæuiſsimè exceptis fuit omni genere calumniarum, vt etiam Barabbas illi anteponeretur, tantoq; ſe melior Chriſto cenſeretur, vt vitam illius iudicarent ſeruatu dignam, Chriſti verò poſtularent exterminari: multum pia mouet hæc conſideratio. Dixit olim D. Chryſoſt. quod qui inimicum patientem intuetur ad compaſsionem motus ingemiſcat: quanto magis qui pater eſt adeo pius amicus adeo fidelis qualis Chriſtus, tantoſque patitur iuſtus cruciatus, mouere debet ad compaſsionis lacrymas ipſum attendentem tot oppreſſum pœnarum aduerſitatibus? quantum odium, quantaque execratione contra eius interfectores vitæque interemptores!

Porro ſi huic piæ conſiderationi primam annectamus, excitatur ex illa odium & abominatio peccati cuius gratiâ motus talem ſuſtinuit paſsionem, Deo ſubiectio, amor bonitatis & gratiarum actionem tantorum beneficiorum congrua immenſitati; ſi conſideremus Paſsionem hanc, vt Euangelium, dicendo quid hoc ſit, optimé pandentur quos in anima producit effectus. Euangelium igitur nomen eſt ſuaue & dulce, verum quidem eſt quòd aliquoties Euangelizare idem ſit quod *prædicare. Dominus dabit verbum Euangelizantibus*: ſic loquitur de prædicatoribus Euangelij, atque quòd Deus illis verba ſuggeret, vt Euangelium prædicent. Et eodem ſenſu ſumpſit hoc verbum Apoſtolus: ſi non Euangelizauero, væ mihi; imo aliquando pro prædicare falsè & deceptoriè: *Si quis vobis Euangelizauerit præter id quod accepiſtis, &c.* Si quis falsò vobis aliquid annuntiauerit illi contrarium quod à veris Euangelij miniſtris audiuiſtis: & iterum paulo ſuperius idem dixerat: *Cito transferimini in aliud Euangelium.* Nihilominus proprié loquendo, & ſecundum vim verbi, *Euangelium* ſignificat fauſtum nun-

tium.

tium. Ad euangelizandum pauperibus miſit me, vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam. Bona noua annuntiare de tot fauſtis qualia perceperunt homines ex aduentu filij Dei in mundum, amplam miniſtrabat eius prædicationi materiam: & Angelus qui læta natiuitatis Chriſti paſtoribus prædicabat, eodem vſus eſt loquendi termino *Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia nata eſt vobis hodie Saluator.* Præterea ideirco doctrina Chriſti dicitur Euangelium. *Euangelium regni Dei.* Læta & optata nuntia, quæ in illa hominibus annuntiantur de regno Dei: & D. Paulus illud agnominat *Euangelium pacis*: nec vlla ſunt lætiora noua, quam pacis ei qui illam exoptat. Vnde abſolutè quidquid Euangeliſtæ ſcripſerunt vocatur Euangelium, & ipſi Euangeliſtæ: quia hic optata mundo nuntia referantur: *Natus eſt vobis hodie Saluator.* Et quæcumque in illis ſcripta ſunt verba ſunt vitæ. Verba quæ locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt: quia in ipſis via ad cœlum aperitur qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Hoc igitur eſt aliquid accipere vt Euangelium, illud quaſi feſtiuum nuntium acceptare.

Luc. 2. 10. Luc. 4.

Epheſ. 6.

Mar. 16. 16.

Conſiderare Paſsionem, quaſi hiſtoriam, quòd Chriſtus mortuus ſit, non eſt bonum nuntium, ſed doloroſum: quia crucifixerunt illum qui viuere merebatur; attamen conſiderando quòd in hac morte vita mea conſiſtat, hoc felix eſt nuntium, & hoc conſiderandum eſt: quocirca ſi Paſsio Chriſti hoc modo vt Hiſtoria perpendatur, non eſt bona iſta conſideratio, niſi progrediamur vlteriùs eamque vt Euangelium meditemur, donec a malis iſtis infauſtiſque nouis, ad bona fauſtaque noua tranſeamus, donec in Chriſti damnis noſtram contemplemur vtilitatem, & tandem donec de Chriſto tranſitum faciamus ad nos ipſos, vt paulò ſuperiùs dictum eſt. Hoc mulieribus illis indicauit quas vidit mortem ſuam deplorantes: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete.* Ne ſiſtatis in hoc *Super me* id eſt ſuper vulnera mea: etenim hoc nequaquam ſufficit: nuda namque hiſtoria eſt, ſed ſuper te. Præclaras perpende virtutis bonaque immenſa, quæ tibi ex hac morte profluxerunt. Hoc erit Euangelium. Sicut dum moritur ſummus Sacerdos, extorris amicus illius, hæc noua percipiens vt hiſtoriam, dolore torquebatur

Luc. 23. 28.

III. Quo ſenſu aſſectus dicitur.

& pœna: quinimo & odio & execratione flagrabat in homicidam: cæterum attendens in hac eius morte ſuum ſolui exilium, & poſſe nunc ſe in patriam remeare, reſtitui in ciuium amicitiam, & connaturalium gratiæ reconciliari, nuntium hoc erat illi fauſtiſsimum. Et hoc vates prædixit Zacharias. *Plangent eum quaſi vnigenitum.* Etenim quando maioreunis & vnigenitus alicuius familiæ interficitur cognati ſui benefactor & amicus integerrimus quem ſummo amore proſequebatur; triſtia ſunt hæc illi nuntia, dum illi mors ſignificatur vt Hiſtoria, verumtamen ſecundum quòd per illam mortem ſuccedit heres in familiam, vt poſſeſsionem inuadat, & facultatum nanciſcatur dominium: iucunda ſunt hæc illi nuntia: etenim in hac morte tota eius latebat ſpectanda felicitas.

IV. Similitudine. Zac. 12. 10.

Hinc oritur prodigium illud diuerſorum affectuum qui ex conſideratione mortis Chriſti naſcuntur. Quid odio magis repugnat quàm amor, & dolori quàm lætitia; nihil ominus ex odio pœnarum, quas Chriſto infligunt, & eorum qui illas infligunt, amor naſcitur eius qui illas recipit. Atque ex iſtis doloribus perpenſis vt Euangelium, promanat lætitia. O rem admirandam! An ex patre tali tales naſcuntur filij ſibi contrarij? Vtique, Et hoc D. Auguſt. aſſerit. *De peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Hoc igitur modo ſi Paſsionem Domini mediteris ex illa amoris oriuntur affectus. O quanta flamma ſuccenditur? ſi poſtquam ſingillatim Chriſti pœnas attenderis, ad memoriam reuoces, te has omnes pro peccatis tuis meritum fuiſſe, atque vt ab illis te liberum abſolueret, has eum omnes in ſe ſuſcepiſſe, *Maiorem charitatem*, teſtatur Chriſtus, *nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* O Domine, quòd te pro inimico tuo mortali tantis exponas ferendis cruciatibus, doloribus, & tormentis: tantis blaſphemiis, opprobriis, & calumniis, tali morti, tali cruci, deinde in te ſuſcipias omnes illos cruciatus pœnaſque non tolerandas quas inimici tui perpeti debuiſſent! Hoc apud Iſaiam lego: *Languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit, cuius liuore ſanati ſumus.* Nec aliud intelligit Rex Dauid dum ait: *In me tranſierunt iræ tuæ & terrores tui conturbauerunt me.* Similiter quod in perſona Chriſti alibi decantat. *Quæ non rapui tunc exſoluebam.* His addo D.

Amor & odium gaudium & triſtitia.

D. Aug. l. 3. de pa.

Iſa. 53. 4. Pſ. 87. 17. 1. Co. 5. 21.

Paulum. *Qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit.* q d. pœnas in ſe ſuſcepit Dominus ille noſtris debitas flagitiis, qui numquam nouerat, quid eſſet in ſeipſo peccatum.

Rom. 4. 25 Inſuper declarans rationem ex qua Saluator tantos ſubierit cruciatus, idem Apoſtolus exprimit noſtra fuiſſe peccata. *Traditus eſt propter delicta noſtra.* Et ille fuit, qui per hoc quod fecit & paſſus eſt deleuit omnia peccata mundi. *Agnus Dei qui tollis peccata mundi:*

Ioan. 1. 29 dixit D. Ioan. quod ſi ſcire deſideremus ex quo natum ſit hoc principio quòd Pater æternus illum nobis tradiderit, vt hæc omnia pro ſalute noſtra pateretur, ipſe nobis declarat Dominus, nimirum ſummum amorem quo

Ioan. 3. 16 Deus hominibus afficiebatur. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Qui igitur fieri poteſt, vt cor hominis ardenti non flagret amoris igne quantolibet frigore conſtringatur, ſi conſideret diuini amoris aſtutias, in Paſsione Domini noſtri vt in Euangelio?

25 VI. Affectus amoris. Erat Dominus hic agnus innocentiſſimus, tantumque pertulit eo quòd talis eſſe voluerit in corpore, quales nos eſſe deberemus in anima. O amor ardentiſſime cùm enim ego ligari deberem, ſputis fœdari contemptui haberi, irrideri, maledici, plagis vulnerari, atque in anima occidi: vt me ligatum abſolueret, immundum expiaret, ſordidum lauaret, maledictum benediceret, infirmum ſanaret, animamque mortuam viuificaret, ipſe recipit in corpore ſuo catenas, quibus ligatur, ſputa quibus fœdatur, maledictiones quibus irridetur, vulnera quibus vulneratur, & mortem quâ ex hoc mundo percuſſus abſcedit. Ego ille eram qui ſuperbiâ tumidus me Regem creabam, qui decipiebam, qui Deo negabam tributa, qui maledicebam, qui malefaciebam: ipſe verò hoc in ſe ſuſcepit paſſuſque eſt ſe caſtigari, quaſi defectus illos omnes ipſe commiſiſſet, ipſe reus eſſet omnium, & cum nihil horum probare potuiſſent, quæ calumniatores obiiciebant inimici cruciatus tamen omnes pertranſiit, ac ſi in rei veritate de his fuiſſet, vt diximus, reus iuridicè conuictus. Quod ſi ergo nihil horum probatum eſt, q. ar. delicta mea ſanctus ipſe in ſe ſuſcepit, pœnaſque omnes illas quarum ego debitor eram, tolerauit & ipſe reus ſentire debuiſſem? Vt agnoſcas ô Chriſtiane, omnia hæc vulnera plagaſque Chriſto inflictas, tuas eſſe, atque hac cognitione inſtructus ad illum te conuertas crucifixum & dicas, Domine mi, hæc vulnera mea ſunt, ad me Domine illa reuertantur, vt ipſe ea patiar. Illæ ſpinæ animam meam tranſfodiant, illi claui cor meum, illa verbera mea viſcera. Conuerte Domine veſtem illam; etenim mihi nata eſt mihique propria & cum hoc mihi non conceda tur, ſaltem ô Domine te diligam vt par eſt à me te diligi. An non intelligis qualiter Paſsio Domini vt Euangelium conſiderata ſuſcitet amorem in animo illius, qui in his agnoſcit cruciatibus, quam meritò pro peccatis ſuis ſibi deberetur?

Nec ſolùm amorem prouocat, ſed & gaudium & animi iucunditatem tot in illa pendens commoda, bona ac beneficia, quæ nobis ex illa promanârunt. Hæc Paſsio pro nobis ſatisfecit, nos Deo reconciliauit, à peccato liberauit, à dæmone vindicauit, infernum ſpoliauit, limbum depræ lata eſt, cœlum aperuit, terramque purificauit. *Vbi mors & vita duello conflixere mirando.* Arcus eſt quo nos liberat, & noſipſos eripimus ab iræ diuinæ diluuio. Stipes in quo erectus fuit ſerpens. Altare in quo pacis fuit oblata victima. Currus in quo de morte triumphauit. Pandus quo Deus ſibi fatetur eſſe ſatisfactum, pro omnibus quæ ob peccata noſtra debebamus. Clauis eſt Dauid quæ theſauros aperit cœleſtes. Cathedra Salomonis in qua ſecreta proponuntur cæleſtia. Turris in qua omnigena ſeruantur arma quibus nos defendamus aduerſus quoſlibet inimicos. Candelabrum eſt illuminans mundum. Sceptrum quod mundum ſubſtrauit. Virga Moyſi, quæ culparum noſtrarum ſerpentes deuorauit. Adeſte immundi, quòd *ſi peccata veſtra fuerint vt coccinum,* hoc ſanguine mundabuntur. *Quaſi lana munda.* Venite fatigati: nam *Ego reficiam vos,* hiſce meis doloribus. Infirmi properate vt curemini: hac etenim infirmitate omnem ſalutem obtinebitis. Hoc eſt prædicare Paſſionem vt Euangelium: diſpone te ad audiendum, & non intellectum tantùm præpares, quantum ipſam voluntatem: etenim ad huius doctrinæ receptionem; ille qui melius fuerit diſpoſitus etiam plura percipiet. Antequam accedatis paruo tempore meditamini, inter voſipſos de illa conferte, priuſquam ſedeatis illam ruminate. Per ieiunium ſe Daniel ad hæc capienda myſteria præparauit, & Anna Propheteſſa ad

Chri-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chriſtum commendum: primitiui Chriſtiani vt ſcribit Philo Iudæus Alexandriæ præmittebant orationem. Eleganter dixit D. Baſil. quòd ſicut in charta conſcripta, ſcribi non poteſt aliud. niſi quod prius ſcriptum erat, eradatur: ita prædicator in tuo corde nihil de rebus ſcribet diuinis, niſi prius ea quæ mundi ſunt delere ſtudeatis. Sit hoc veſtrum his diebus de Paſſione negotium: & antequam vlterius in ea progrediamur, præparate corda veſtra, rogando Deum, vt ipſe in cordibus veſtris operetur eo modo, vt vobis tribuat ſuos ſenti- re cruciatus, & quantum debeatis Deo, cognoſcatis: cum enim abſolutus ſit gloriæ Dominus, voluit quatenus nos in illam per mortem ſuam introduceret, formam ſerui accipere, & per hanc prima iacere Paſsionis ſuæ fundamenta. *Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens.* Hanc ergo Paſsionem vt Euangelium conſidere, vt ex illa mirabiles elicias vtilitates.

*§. 7. Quia Dei virtus manifeſtatura erat meritum adeò ſublime in opere noſtræ Redemptionis, formam accipiendo ſerui, paſſus eſt, vt quatenus paßioni ſuæ daretur principium, cum Iudas venderet, ſicut fratres Ioſephum vendiderunt pretio viliori.*

INcipit radios emittere ſol iuſtitiæ Chriſtus retrogradiendo, formam ſerui accipiendo. Hanc aſſumpſit quando in virgine ipſis cœlis puriori Maria humanam aſſumpſit naturam, nunc vero particulariter, quando venditus fuit, patentiùs ſuam declarauit abiectionem: quia ſe vt ſeruum expoſuit: *In ſeruum venundatus eſt Ioſeph.* Non vocat Pſalmiſta Ioſeph ſeruum, donec dicat de illo, quod venumdatus ſit. Venditio illa Ioſeph Chriſti præfigurauit venditionem: vnde propriè dicitur, quod in illa potiſsimum formam ſerui acciperet. Difficultas oritur quantum ad pretium quo deſtractus fuit Ioſeph. D. Aug. opinatur fuiſſe triginta argenteorum, vt figurato figura reſponderet, ſicut & fuit in potiori, quòd eius venditionem promouerit frater eius Iudas: porro Ioſeph venditus non fuit vt occideretur, nec ad hoc emptus, *ſed in ſeruum.* Verum quidem eſt, quod vt tali *humiliauerunt in compedibus pedes eius.* Porro Chriſtus venditus fuit à Iuda diſcipulo ſuo, & emptus à Phariſæis, vt perderetur & interficeretur. Attende delirium inſigne: venditur Chriſtus, & quo pretio? Et quale poteſt ad hoc pretium ſufficere? Tertullian. ſubſannat Gentiles quia vendebant & elocabant Deorum ſuorum ſtatuas iiſdem conſtrictas compedibus & catenis, quibus illas detinebant. *Sub eadem haſta, ſub eadem voce preconis diuinitas addicta conducitur.*

I. Ioſephi Chriſti venditionis diſcrimen. Ter. In Apolog.

Nam pariter per hoc veros Deos non eſſe fatebantur: ſi namque tales fuiſſent, nullum fuiſſet pretium illis emendis correſpondens. Quàm grauiter ità commotus eſt D. Petrus contra Simonem Magum, quando poſtulauit ab eo gratiam ſibi vendi Spiritus S. quam Apoſtoli ceteris tribuebant? aduerſus eum inſurgit, & ait: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quia exiſtimaſti donum Dei pecunia poſſideri. Donum Dei.* O vos ſacrilegos, Simoniſtas, exclamat D. Gregor, grauiorem intuliſtis iniuriam Spiritui S. quam Macedoniani: nam illi hunc creaturam effecerunt, ſed nobiliſsimam Deoque proximam: illi verò vilem adeæ reputant eum, & vix vllius pretij, vt eum vendi poſſe arbitrarentur.

II. Chriſtus pretio inæſtimabilis.

Act. 8. 20.

Chriſtum hîc attende, vtpote donum Dei. Hoc titulo ſeipſum inſcribit, locutus Samaritanæ, deque diuina ſua perſona ſic proteſtatur. *Si ſcires donum Dei, & quis eſt, qui dicit tibi: mulier da mihi bibere: donum Dei.* O Iudam proditorem: contumeliam attende quâ illum proſcindis, & vos Phariſæi maledicti, qui creditis, quod Dominus hic *Pecunia poſſideri poſſit.* An tam vilis eſt, vt vel vlla pecunia poſſet ei quod ipſe eſt, æquiualere? O non tolerandam animi peruerſitatem! Deinde ſciamus quo pretio adeo magno prætenderint poſſe illum æſtimari? *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis: decorum pretium, quo appretiatus ſum ab eis.* Certè honorabile de me mundus iudicium tulit, in ſtaterâ appenderunt me contra triginta argenteos, hoc eſt *Appenderunt,* & fuit qui illos grauius appendere indicaret. O pondus peruerſum? *Statera doloſa in manibus eius.* In malo falſoque pondere modo appenderis ô Domine: verum breui aliam habebis veram & iuſtam, nempe Crucem, in qua diuinum tuum meritum valorque appendentur: nam idcirco in cruce exaltabitur: *Statera facta corporis.* Pretium pondusque ſummarium;

Ioan. 4. 10.

Zac. 11. 12.

III. Vile pretium triginta argẽtei.

hic

hic patet quanti valeat : illo etenim ſanguine ac morte diripitur infernus, repletur cœlum, remittuntur peccata, virtutes obtinentur. Veruntamen pondus hoc, quo in venditione appenditur, falſum eſt & mendax : cùm enim verus ſit Deus, pretio appendunt illum, & adeo quidem abiecto, O ſummam eius proditionem, qui facit hoc : ſed ô ſublime profundumque Sacramentum : nam vt opus perficiat quo nullum excellentius, noſtræ ſcilicet Redemptionis, vt verum oſtendatur, quòd ad eius executionem formam acceperit ſerui, ſe vendi permittit, tam vili abiectoque pretio

IV. Quid ſit ſeruitus.

Quid ſit ſeruitus declarauit D. Ambro. *Seruitus homini libero, omne ſupplicio grauior eſt.* Et Cicero : *Nihil deteſtabilius dedecore, nihil fœdius ſeruitute. Ad decus & libertatem nati ſumus, aut hæc teneamus, aut cum dignitate moriamur.* Expendit D. Greg. Naz. quod res ita indecora per peccatum fuerit introducta : quando in pœnam impietatis Cham Noë dixit: *Seruus erit ſeruorum fratribus ſuis* : & ita declarat S. Doctor illud Euangelij, quod ipſe legit *à principio autem non fuit ſic.* Hanc quoque doctrinam tenuit D. Aug. vnde ſeruitutis ſignum erat radere caput & barbam : hæc enim erant eius inſignia, vt dixit Philoſtratus a & D. Cypria *b* Imo ex S. Scriptura colligitur. *De capite nudati inimicorum capitis.* c Refert Ariſtoteles dictum Socratis *d. Dignum erat, vt in ſepulchris eorum qui Salamine occubuerant Græcia tonderetur, quod liberius cum vita eorum occubuiſſet.* q. d. quòd ſeruus, nec quidem cogitationes habeat proprias, nec ſit cur, diſcurſu, cogitationibus & electionibus valeat : hoc enim ſignificant capilli, & meâ quidem ſententia ſic explico: ſint priuati omni eſſe & natura hominis, Non ſatis fuit filio Dei, quòd ſe ſeruum faceret, inſuper & ſeipſum pœnis ſubiecit ſeruitutis, lororum flagellationi. Legibus decretum erat Romanorum vt homo liber virgis cæderetur, ſeruus autem loris vel neruis. *Ter virgis cæſus ſum,* inquit D. Paulus ; etenim libertate gaudebat Romanorum : verùm Chriſtus Dominus noſter, *Flagellatus fuit* : non dicitur *cæſus virgis* ſed *flagellabunt eum, Pilatus flagellauit,* loris vt ſeruum: quod bene notauit D. Ber. *Non ſolum formam ſerui accepit, vt ſubeſſet, ſed mali etiam ſerui, vt vapularet* : cum Chriſtus de tali dicat: *Malus ſeruus plagis*

D. Ambr. l. 3. offi. c. 14.
3. Philipp. Orat. 16.
Gen. 9. 25.
L. 19 de ciu. c. 15. & l. 99. in Gen q. 153.
a In Apol. l. 7.
b Epiſt. 77.
c Deut. 32. 42.
d l. 3. Rethor. c. 13.
Chriſtus pœnas paſſus eſt ſerui.
2. Cor. 11. 25.
D. Bern. ſer. 4. heb.

*vapulabit multis.* Atque vt reipſa ſe ſeruum declararet, quodque ſerui formam accepiſſet, ex ſui voluit ordiri venditione, vt vicerit ad pœnas tranſiret ſerui non qualiſcumque, ſed immorigeri,

Ea intentione permiſit, vt hanc Iudas executionem inchoaret, & ipſe ſocer qui operam hanc impleret permiſſionem, qua Chriſtus ſe vendi patiebatur. *Tunc abiit vnus de duodecim,* ille in quem introiuit diabolus. Notandum eſt verbum Euangeliſtæ: *Abiit*: peſſimi [illegible] ominis: *Abiit poſt greges porcorum.* Hoc [illegible] vt extremam explicet filij prodigi calamitatem, qua porcarius tandem ſeruiret : eodem iterum vtitur dicturus ſiniſtram ſortem, quam vt talem paſſus eſt adoleſcens ille diues cui præcepit Dominus, vt facultates ſuas diuenderet eas pauperibus erogaturus : quia eius iudicio ſumma erat hæc calamitas, extremus eum mæror occupauit, quem hoc verbo declarat: *Abiit triſtis.* De ſocordi illo ſeruo qui talentum ſibi à Domino ſuo traditum ad lucrum abſcondit, eius Chriſtus indicat infelicitatem dicendo : *Abiit fodit, abſcondit talentum Domini ſui.* Ita nunc ſimiliter Euangeliſta, quo declararet extremam Iudæ perditionem dum factus perfidus magiſtri ſui proditor ad crimen feſtinat, hic ait : *Abiit*, non coactus, non expulſus ; ſed propria deliberatione voluntate, & diaboli captus perſuaſione : ipſe abiit, nam ſi diabolus in eum intrauit, hoc ideo factum eſt, quia illi portam aperuit. Dominus potentia licet ſummus non intrat, ſi in propria motus voluntate illi ianuam non aperis. *Aperite mihi portas iuſtitiæ.* Quantò minus poterit intrare diabolus : *Abiit.* Quoties [illegible] Chriſtus ad mali propoſiti prouocauit emendationem animique mutationem? Si [illegible] cordeque nobilis ſis, ecce me humilio & [illegible] dem tantum ; vt pedibus tuis aduolutus [illegible] dem lauerim : eo fine lauit illos, vt videret vtrum humilitas illa, in qua cernebat eum [illegible] hoc impeditum ipſum à concepta intentione animæ adeò exitioſa reuocaret. Nobiles [illegible] ita potenter mouet vrgetque ad clementiam, vt inimicorum humiliatio, Si ſeruus [illegible] abiectus, & pectus eius qui talis eſt, [illegible] compellant ad animi ſubmiſſionem, dona [illegible] ſume præclariora : in hunc finem tradidit [illegible] SS. corpus ſuum, & in ipſo omnem diuinitatis theſaurum, talia munera ac pignora, quæ [illegible]

cumbere deberent illum, à non perficiendo crimine venditionis. Nihil profecit: *Abijt*, non illum Chriſtus eiecit; imo potius illum detinuit, ne Apoſtolatum ſuum claſſemque deſereret fugitiuus. O quàm procul abſcedit Iudas, qui diſcipulus erat Chriſti, in eius mutatur aduerſarium: qui amicus erat, fit mortalis inimicus: qui Apoſtolus, fit miniſter ſatanæ nequiſſimus. *Vnus de duodecim*, Vnus de numero illo adeo principali, nam *erat caterua regalis*, inquit D. Chryſoſt. vnus de regali Chriſti congregatione, vnus de concilio ſtatuum eius, vnus ex illis quibus arcana ſua reuelabat, & quidquid ad regni ſui ſpectabat fundationem.

VII. Quo curris, quo feſtinas diſcipule proditorque infeliciſſime? Ad Principes Sacerdotum, vt agam & concludam Domini venditionem, cum Principibus Sacerdotum. O excommunicate nequam? ô diſcipule magiſtri traditor; ne vadas, quia Dominus hic quem vendere feſtinas, nullum habet (hoc ſcito) æquale ſibi pretium, nec nobis conuenit, vt habeat quia *Omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua*. Quidquid illi tradere tibi pro eo poſſunt, perſpectum tibi ſit, eſſe nihil, dignitas etenim eius infinita eſt, quia verò debitum quo Deo obſtringimur, infinitum eſt, ſolus ille poterat pro eo ex integro ſatisfacere: quia valet infinitè id quod pro illo ex parte ſua daturus erat, & nullum pretium, quod ipſi tibi poſſunt dare, erit dignitati eius æquiualens. Vel ſaltem vade ad cœlum: quia ſicut in illo habet æternum ſuum Patrem, qui illum probè nouit, eiuſque perſpectam habet dignitatem, ibi tibi pro illo largientur multò plura quam tu valeres poſtulare, quod ſi non, ſaltem publica & manifeſta quisnam ſit, Attende proditor quod eo ipſo quò vendis illum Principibus Sacerdotum, pecces contra decretum

VIII. legis in Deuteronomio: vt autem eius meminetis, tam tibi denuo repetit Spiritus S. Hæc ſtatuit, vt ſi quando quis in ſeruum venumdandus eſt primò videant vtrum aliquis ex propinquis velit eum emere: cum enim illi communiter eum norint diſtinctiùs, ſcientes eius valorem, pretium pro eo ſoluent multò ſuperius. Conſidera Dominum hunc quem vendis, non de rupibus natum agreſtem, patrem habet, & quidem a ſeo conſpicuum, vt Dominus ſit cœlorum, & terrarum: qui pater eſt æternus, ex quo omnes qui tales ſunt oriuntur: *Ex quo omnis Paternitas in cœlis & in terra nominatur*: eumque vt ſe diligit: nam ſicut ille dignus eſt amore diligi infinito, infinitè illum diligit: quia tanta quanta ille pollet bonitate: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Quod ſi tibi deficiat animus quo ſiſtas illum coram Patre ſuo, ſcias quod matrem habeat, quæ illum pluſquã ſe ipſam amore proſequitur, & quamuis bonis ſit inops temporalibus, diues eſt ſpiritualibus; ex his tibi dabit quantumcumque petieris: eſt etenim ipſa benignitas, & illa clemens te ſuſcipiet, nec quod petieris tibi dare dedignabitur. Nihil horum retrahit eum, vnde nec moram facit donec ad Principes accurrat mercator de pretio ſanguinis conſenturus: *Ad Principes Sacerdotum*. Audiamus Origenem. *Abijt ad Principes contra Verum Principem, ad Sacerdotes contra verum Sacerdotem imo ſummum Sacerdotem.*

Porro ſciamus quid pro illo poſtulet: id notemus in hoc quod ait: *Quid vultis mihi dare?* Expendenda cum D. Hieron. indeterminata Iudæ poſtulatio: non enim ait: volo vt aurum mihi detis, vt eum vobis tradam, ſed abſolutè, quo declarauit quod pretium committeret eorum voluntati, ac ſi diceret: qualicumque ſumma à vobis traditâ erit mihi ſatisfactum: quo Chriſtum maximo vilifecit opprobrio: *ac ſic diceretur*; (ita D. Hieron.) *vile mancipium*, Voſipſi de pretio concludite: mancipium etenim quod expono venditioni, adeo inutile eſt, vt quodcumque pro illo mihi dederitis, ſufficiens mihi ſit futura ſolutio. Quando domi tuæ habes aliquid quod tibi faceſſit negotium, non tam illud vendis vt ex eo denarios tibi compares, quàm vt illo te expedias, & nullo alio pretio maiori expectato illud tradis. E contra vero quando venum das aliquid tibi admodum charum, non permittis, vt emptor eius tibi ſtatuat pretium, ſed illud tu determinas & cũ eo paciſceris; porro in re viliori lucrum æſtimat in eo recipiendo, quod emptor in pretium eius tibi præſtituit. Eo modo Iudas egit cum Chriſto: quanta etenim vilipenſione Chriſtum appendit, quàm flocci eum habuit: *Quid vultis mihi dare?* Veſtro relinquo beneplacito quodcumque mihi dare decreueritis: etenim quodlibet mihi pretium aſſignaueritis, lucrum arbitror eximium ſi pro eo vobis illum tradidero.

Ephes. 3. 15

Matth. 3. 17.

Origen. Tract. 35. in Matt.

18

D. Hier. in c. 26. Matth.

IX
Alius ſenſus huius ex actionis pretij.

Verumtamen hoc ego conſidero in eo quod Iudas certum non popoſcerit pretium, forte fuiſſe Spiritus S. conſilium & intentum: qui ſicut per os Caiphæ primam omnium expreſſit veritatem: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo & non tota gens pereat*; ita per Iudam, neſcientem quid diceret voluit omnium maxima declararetur veritas: & quænam hæc obſecro? nullam ſcilicet pecuniæ ſummam poſſe determinari, quæ merci reſpondeat iuſtaque ſit adeo pretioſæ. Sicut hoc verbo dicere poteſt iuſtus: ô Diabole, ô munde, ô caro, quid me prouocatis vt vobis Chriſtum tradam fidem veſtram obteſtor, quid vultis mihi dare, vel poteſtis mihi dare, quod tanti valeat, ut me efficaciter moueat ad tantæ gemmæ traditionem; *Quid vultis mihi dare*. Numquam deſiſtunt tres illi mercatores, quo te moueant, & exhorrentur, vt venum des tradaſque Saluatorem.

V,
Item alius moralis.

Promiſſa eorum hæc ſunt, deliciæ, voluptates, ludi, felicitas mundana, diuitiæ, dignitates, terrenaque gloria: *Omnia regna mundi*, promittebat ex illis peſſimus mercator: porro ſi rem attentius inſpicias, ſinguli eorum quamdam habent qualitatem, ob quam cum illis paciſci non licet aut conuenire. Vnus pauper eſt, alter mendax, tertius ſtultus, *Tres ſpecies odiuit anima mea, pauperem ſuperbum, diuitem mendacem, ſenem fatuum*. Caro, corpus noſtrum turget ſuperbia: quo tradas Chriſtum, præclara tibi ſpondet, delicias, voluptates, proſperitates, gloriam, magniq; nominis æſtimationem. Sed non attendis, quod pauper ſit, & adeo mendica caro, vt nuda naſcatur, nudaque moriatur: etiam eo inſtanti quo nata eſt cœpit ab vberibus mendicare matris lac, à terra panem, à vineis vinum, à montibus ligna, ab ouibus lanam, ab aëre vitam: vnico verbo quidquid habet ab aliis pluribus pauper emendicauit. Diues eſt mundus cui hereditario iure delatæ ſunt pecuniæ, diuitiæ Alexandri, Darij, Crœſi, & quotquot opibus ſplendidos audiuimus: tibique præclara ſpondet, ſi Chriſtum tradere cum ipſo conuenias: porro mendax eſt, & quicumque cum illo paciſcitur, ſe queritur circumuentum: etenim cum tibi plures tradiderit facultates, eo momento quo moreris illas tibi prædo ſuffuratur. Senex eſt tertius, ſcilicet diabolus, ſed fatuus, qui de ſe tantum abiecit bonum, ſtultus qui tanta ſolicitudine noſtram intendit ruinã, cũ hæc illi vertatur in grauiorẽ damnationem: quandoquidẽ quodlibet noſtrum malum illi accreſcat ad pœnã. Nunc mercator eſt, teque rogat vt Chriſtum vendas, & perfidus ille proditor nihil dare poteſt alicuius valoris: etenim eius voluptates tormenta ſunt & cruciatus. ſingulis eorum reſpondendum eſt: Ad Chriſtum tradendum: *Quid vultis mihi dare?* O fatui, quid poteſtis mihi dare, quod tanto valeat theſauro, qualis hic eſt *Quid Vultis*: quid mihi caro diuitias promittis? *Opera carnis* hæc ſecum nimium trahunt anxietatem. Quid mihi mundi addicis, diuitias? Moriendum mihi eſt & his omnibus renunciandum. Quid mihi dabis Diabole? Dignitates; & demum infernum! Hinc apage, ſceleratiſſime mercator; noui etenim quod tandem in fine: *Caro conficit, mundus deficit, & diabolus interficit*.

Illis igitur Iudas optionem dat & de ſtatuendo pretio facultatem: *At illi conſtituerunt ei triginta argenteos*. Tres Euangeliſtæ dicunt, quod pacti ſunt ei daturos, ſolus Matthæus ſcribit pretij quantitatem: quia ipſe ſolus Hebræis ſcripſit, alij verò Gentilibus & Hebræis oſtendit impletum in Chriſto præter alia, Zachariæ vaticinium: *Appenderũt mercedem meam triginta argenteis*. Gentilibus dicere ſufficiebat Chriſtum pecunia fuiſſe diſtractum, Hebræis autem, qui millies hanc legerant prophetiam, & millies eam declarauerant de Meſſia, neceſſe erat vt D. Matthæus ob oculos poneret eandem ita ſingillatim quantum ad hoc, impletam. Quod ſi à tot annis prædixerat Zacharias Meſſiam vendendum triginta denariis, in Chriſto completum eſt illud: Iudæ etenim promiſerunt: *Conſtituerunt triginta argenteos*. Mirare prophetiam: *Et dixit ad eos, ſi bonum eſt in oculis veſtris, afferte mercedem meam, & ſi non, quieſcite*: qua vt præfati ſumus, non fuit à Iuda determinata ſumma pretij, ſed eorum hanc reliquit libertati: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis*. Et eſt hoc adeo clarum, ſicut illud quod dixit D. Matt. *Conſtituerunt ei triginta argenteos*. Et poſt hæc ſequitur: *Et dixit Dominus: proijce illud ad ſtatuarium*, quod ad litteram certum eſt impletum: etenim Iudas: *Proiectis argenteis receſſit*. Præterea ſi bene prophetiam inſpiciamus, inueniemus non: *Proijce* ſolum, ſed *in domum Domini*. Et ita factum eſt: nam Iudas non ſolum proiecit argenteos, ſed: *In templo proiectis argenteis, receſſit*. Deinde mirare qualiter prophetia

Matth. 4. 9.

Eccl. 25. 3.

phetiam concludat: nam: *Proiecti ſunt ad ſtatuarium* Et idem eſt ac ſi diceret: ad figulum: quia illi ipſi de pecunia illa dixerunt: *Non licet eos mittere in corbonam*, quando Iudas illam in templum proiecit, ſed ex ea illud emerunt, quod perfectum dedit huic oraculo complementum: quia *Emerunt ex eis agrum figuli*. Addo quod ad demonſtrandam pretij vilitatem dixerunt: *Decorum pretium* Filij ſcilicet Dei. O quales mercatores, & quam rectè mercem cognoſcunt & eiuſdem valorem. Nonnulli notant hic, quod ante prælibauimus, impletam hic prophetiam de Ioſeph, qui ſimiliter fuit venditus: Et mira eſt hæc vtriuſque proportio. Ioſeph mittitur à patre vt fratres ſuos in agro viſitaret. Christus mittitur peccatores viſitaturus. Ioſeph tunicâ fulget indutus polymita, Christus humanitate miraculis mille coruſcante. Vt fratres viderunt tunicam illam Ioſeph polymitam, inuidiâ conflagrarunt, pariter & Iudæi Chriſti in miraculis ſuis mirati potentiam mortali in eum odio & liuore exarſerunt. Vnus ex fratribus illis ceteris perſuaſit vt illum venderent: vnus ex Apoſtolis perſuadet vt Chriſtus vendatur. Sicut Ioſeph non occiderunt, ſed tantum veſtimentum eius ſanguine tinxerunt, ita Iudæi non potuerunt diuinam Chriſti perſonam occidere, ſed ſanguine tantû veſtem illius, humanitatē intinxerunt. Sicut Ioſeph habitus fuit vt mortuus, & tamē viuus apparuit, ita Chriſtus mortuus credebatur, verûtamē poſtea prodijt immortalis. Vēditus fuit Ioſeph triginta argenteis, ſic & Chriſtus triginta denarijs. Dicunt quidā venditum fuiſſe Ioſeph triginta denarijs aureis: ita Septuaginta indicarunt; porro D. Hieronymus ad cundē locū ſcribit, quod: *Non poterat eſſe pretioſior ſeruus quam Dominus*. Ioſephus teſtatur quod Ioſeph venditus fuerit: *Viginti argenteis*. Et D. Ambroſius aſſerit quod in quibuſdā exemplaribus legatur, viginti, in alijs viginti quinque, in alijs triginta, & quidam arbitrantur, denarios fuiſſe aureos, & alij argenteos: textus autem correctus legit: *Fuit venditus Iſmaelitis viginti argenteis*, & illi ipſum in Ægypto triginta denarijs vendiderunt. Quanti valerent nummi illi argentei, non certò conſtat. Ven. Beda exiſtimat, quod triginta argentei tanti valerent, quanti vnguentum ſuper caput Domini ad vnctionem effuſum. Quocirca Iudas vt lucrum ſibi recuperaret quod ſe perdidiſſe ſibi perſuadebat, Chriſtum eodem pretio vendidit, quem ſequuntur D. Bonauent. & Lyra; ſed huius impoſſibile eſt certam habere cognitionem; hoc autem omnes communiter ſentiunt fuiſſe argenteos, ſicut: *Argenteus* pro hoc ſumitur, quod eſt denarius ex argento cuſus, & ſinguli valebant, nulla facta diſtinctione, cum nonnullis, inter ſiclum ſanctuarij & communem, quatuor dragmis, quæ quatuor noſtros appendunt regales, pauló plus vel minus in vniuerſum appendentes centum viginti regales: *Decorum pretium, quo appretiatus ſum.* Nonnulli Doctores hærent in eo quód Chriſtus traditus vt pateretur, venditus ſit vt mancipium. Quando ſeruus ad aliquid venditur, totus illi dedicatur, de illo ſolum agitur, & huic totus impenditur. Quis vnquam hominum vidit, emi virum, & vendi vt doloribus pœniſque afficiatur? Hoc in Chriſto Domino noſtro cernimus: vnde quidquid in illo eſt, poſt venditionem nihil aliud eſt, quàm tormenta, cruciatus, mortiſque tolerare anguſtias. Quia verò his totus impendebatur, vocat eum Iſaias: *Virum dolorum*: quia ſicut fuit ad tormenta venditus, totum eius opus ſtudiumque fuit, doloribus pœniſque examinari.

In Luc.

In Matt. c. 26.

L. 2. Reg. c. 18.

In hoc infimo pretio grande detegit D. Auguſt. myſterium: ego verò illud tantum ex Exodo conſidero, quod Deus præcepit: *Si bos cornupeta fuerit, occideritque ſeruum, triginta ſiclos argenti Domino dabit* Ita vt idem pretium, quo æſtimabatur ſeruus occiſus à boue, ipſum eſt, quo Chriſtus fuit æſtimatus omnis creaturæ dominus. O Iuda proditor: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.* Sumito ter maledicte pretium pretij tui: nam triginta te maledictionibus Pſalmiſta perſtringit, & cuique ſua reſpondet maledictio: *Conſtitue ſuper eum peccatorem & diabolus ſtet à dextris eius* Et vos quoque proditores, qui pretium adeo vile conſtituitis, tali vendemini infortunio vt triginta ex vobis vno diſtrahantur argenteo, vt eo tempore contigit, quo Hieruſalem inuaſerunt Titus & Veſpaſianus, vt refert Ioſephus. His conuentio firmatur. Hoc factum eſt die Mercurij præcedente Chriſti paſſionem: & hinc collegit D. Auguſtinus rationem, cur quorundam innititur pia & antiqua conſuetudo ieiunandi diebus Mercurij, & ſtrictè ſeruabatur hoc in primatiua Eccleſia ieiunium, quia tali die, id eſt biduo ante Paſcha, contractus hic concluſus

L. 1. qq. Euangel. c. 41.

Exod. 21, 32.

Pſ. 108. 6

Epiſt. ad Ianua.

eſſe perhibetur.

*§. 8.* ***Cantando Chriſtus noſtram incipit redemptionem, quia opus eſt amoris; pergit ad montem Oliueti: quia illam miſericordiâ motus operatus eſt, & anguſtauit ſeipſum in horto (tranſiens torrentem Cedron) Gethſemani: quia ſacrificari debebat ad diuinæ iuſtitiæ ſatiſfactionem.***

☞ 20

DVm Chriſtus Dominus cum diſcipulis ſuis myſterioſam illam celebrat cœnam, eo pede quo hominum nequitia contra eum exardeſcebat, amor ex oppoſito operabatur: nam præclariores fouebat illis in corde ſuo adinuentiones, eiuſque pectus diuino flagrabat amoris incendio, multò feruentiùs, quam illud Iudæ cupiditate: quocirca ait illi Dominus: *Quod facis fac citius.* Eo tempore denuo diabolus ingreſſus eſt animam eius, & abiit milites congregaturus vt illum traderet. Patiatur illum abire, vſque dum hortum ingrediatur integra ſtipatus cohorte factus dux & anteſignanus miniſtrorum diaboli, & ſocij Chriſto cohæreamus, qui amor eſt hominis & omne illius bonum: etenim peractâ Cœna præcipit diſcipulis ſuis: *Surgite eamus hinc:* ilico ſurgunt omnes è menſa, & excedendo de cœnaculo: *Hymno dicto, Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron*, Egreſſus eſt Hieruſalem & abiit in deſertum ad alteram partem torrentis Cedron.

I. Sex puncta hic expenduntur.

In hoc principio quo ſacram ſuam Paſſionem orditur, ſex nobis occurrunt conſideranda. Primum cur Paſſionem ſuam exorſus ſit ab hymno *Hymno dicto.* Secundum: quid ſit quod egreditur de Hieruſalem, Tertium: quid mouit eum vt tranſeat torrentem Cedron. Quartum: quare montem petat Oliuarum. Quintum: qua de cauſa ad villam pergat Gethſemani. Sextum: quamobrem in hortum oraturus ſecedat. Si quid in ſex his punctis meditationum aliquid eorum repetatur quæ die Lunæ huius hebdomadæ diximus, remittemus illos eò qui voluerint hoc legere fuſiùs explicatum, &

Primum.

de illis hic agimus, quia hæc omnia verbis Euangeliſtarum comprehenduntur quæ Chriſti Domini Paſsionem referunt: *Et hymno dicto.* Hymnum, D. Thomas credit fuiſſe orationem illam quam D. Ioan. Euang. conſcribit, in qua ab æterno Patre ſuo ſuam poſtulauit clarificationem: *Pater clarifica me ex hac hora*, vt concordet cum eo quod aiunt Euangeliſtæ: *Hymno dicto exierunt*, quod nimirum abſoluta hac oratione ad hortum egreſſi fuerint, porro Origen. & D. Chryſoſt. & Ven. Beda opinantur fuiſſe gratiarum actionem poſt Cœnam: & ita hymnus ille fuit alius ab oratione, in oratione dicit D. Aug. petitur gratia aliqua vel donum à Deo: in hymno vero, teſte D. Hieron, referuntur Deo gratiæ. Et ita notat Card. Caiet. in Græco haberi: *Cum dixiſſent hymnum:* quod Chriſtus Dominus cum Apoſtolis dixerit & cantauerit hymnum, porro ſolus Chriſtus illam habuit orationem. Quis fuerit his hymnus exponit D. Hieron. dicens fuiſſe illa verba de Pſalterio: *Edent pauperes & ſaturabuntur &c.* quod aliàs explicauimus. Quod factum eſt ex more Iudæorum, vt à menſa ſurgentes pſalmos aliquos legerent in gratiarum actionem, dicebaturque hymnus.

Vt igitur Chriſtus ſuam inchoaret paſsionem, cantauit hymnum D. Chryſoſt. aſſerit cantatum fuiſſe poſt Cœnam Sacramentalem, quodque huic reſpondeat in Miſſa collecta poſt communionem, vt intelligas tibi quoque hanc audiendam, & ſcias quid tibi tunc ſit agendum: *Audiatis etiam quicumque vltimam myſterij orationem non expectatis, quæ illius ſymbolum eſt.* quod nimirum Deo rependantur gratiarum actiones, etenim per illam Miſſa terminatur. Verùm Ven Beda, ait, vt oſtenderet quam voluntariè moreretur & Paſsionem acceptaret, eam voluit inchoare cantando, atque vt hymnum hunc cum eo homines proſequantur, quandoquidem pro illis moritur. Quando mundum ingreſſus eſt, cecinerunt Angeli: quia dum vitam ingreditur, ratio ſuadet vt cantent illi qui vita viuunt, Angelorum chori; quando ad mortem tendit, homines pſallunt mortales. O Domine, quid incipis cantando, ego certum te reddo, quod plorando finem impones: *Cum clamore valido & lacrymis* Quod ſi in hoc vires oſtentas diuinas, in illo humanam prodes corporis infirmitatem. Et ſi in hoc quod cantes iam nunc moriturus tuum patefacias amorem, plorando noſtram argues ingratitudinem.

Secundum adeſt conſiderandum, quod Do-

Dominus de Hieruſalem egrediatur. Vehementer obſtupeo dum illum video Hieruſalem excedentem tanta paupertate humilem, quem tanta vidi gloria ſublimem illam ingredientem, O infortunatam Hieruſalem hunc plange egreſſum, cum hic tibi futurus ſit in perditionem. Nunc ita nunc te potes lugere ſolam & derelictam, Multoties rapinas ab hoſtibus ſuſtinuiſti. Quando Ioachaz captus ductus fuit in Ægyptum vt conſtat ex 4. l. Reg. Quando Ioachim occiſus fuit; quando minor Ioachim cum matre ſua captiuus ductus eſt in Babyloniam; quando, Sedechias captus fuit, erutis illi oculis; Quando Nabuzardan incenſus templum euertit; Quando Godolias ab Iſmael filio Nathaniæ cæſus occubuit. Veruntamen omnes illæ deuaſtationes quas ita pertuliſti in omnibus illis gemens occaſionibus, minori ſunt mœrore dignæ, eius intuitu, in qua nunc maledicta relinqueris. O quid hoc Saluatoris egreſſu declaratur! Ipſo diſcedente, bonum tibi omne deficiet. Quinque vrbem reddunt illuſtrem. Primum, ſi Rex ibi curiam habeat, vt Mađriti. Secundum, ſi caput ſit Religionis vt Roma. Tertium, ſi erecta ſit ibi præclara almaque vniuerſitas, vt Pariſiis, Salmanticæ, &c. Quartum, ſi negotia ibi vigeant Mercaturæ, vt Mediolanum. Quintum ſi ſit maritima, qualis eſt Neapolis. Hæc omnia reddebant Hieruſalem celeberrimam. Quia ab his egregia commendabatur. Proxima etenim erat mari itinere ſcilicet biduano quamuis portum non haberet maritimum. Super illam igitur hæc omnia infauſta conuenere, quod futura ſit ſine Rege, ſine Religione, ſine litteris, ſine mercatura, & ſi poſſibile foret ſine Oceano. Vnde hæc omnia? Quia *Egreſſus eſt Ieſus*: Quia deficiente illi Ieſu, defecit illi auctoritas fortitudo, abundantia, ſecuritas, & pax. Excidit illi ſanctitas, & omnis eius illuſtriſſima gloria, prius glorioſa dicta ciuitas Dei: *Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei*. Nunc Deo deſtituta, & plena confuſione: prius pacifica ciuitas, nunc exulat ab ea pax: prius ſapientia litteriſque nominatiſſima nunc autem ignorantiæ tenebris inuoluta. Quare hæc omnia? *Egreſſus eſt Ieſus*. Significat Dominus in hoc egreſſu, quod quandoquidem illum ita inhumaniter mortem inferendo exciperent, quo conabantur illum perdere, illos abiens desereret, & ad Gentes tranſiret. Licet hic conſiderare Reginam Vaſthi reiectam, & Eſther ad ſolium regale exaltatam, Contemplare Eſau fratrem primogenitum à patre ſuo reprobatum, & Iacob minorennem benedictionibus & primogenitura cumulatum. Ecce populum Iudæorum ab antiquo ſuo deiectum ſplendore, & Regia priuatum nobilitate: qui primogenitus fuit Dei filius: & ecce Gentilium populum licet natu minorem & filium ſecundum in cognitione Dei ſublimatum ad dignitatem primogenituræ Regni Chriſti, & benedictionibus gratiæ ſuæ ſuper abundanter impletum.

Pſal. 86.

Tertium reuoluamus: cur Dominus egreſſus de Hieruſalem iter trans torrentem Cedron ceperit quod Dauid præſcius cecinit: *De torrente in via bibet*: quia cum emoriturus pro hominibus tenderet, finem curſus vitæ ſuæ declarauit: Torrens rapidum vitæ noſtræ curſum deſignat, quæ fluit inſtar torrentis Cedron inter centum millia ſata fatigationis & anxietatis, quibus ad mortis mare deducitur. Hunc Dominus erat tranſiturus: eoque paſſu ingreſſus eſt, vt dicat: *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*. Et ea omnia compleuit, quæ ſcripſerant & prædixerant operibus & verbis Prophetæ. Et ſicut in S. Scriptura per Cedros ſignificantur Prophetæ & Patriarchæ, vt diximus fuſiùs exarauimus, quando Dominus iam ad mortem feſtinat, torrentem tranſit Cedrorum: quia moriendo veras eſſe oſtendit eorum omnium Prophetias. Multas alias continet hic torrens Cedron quia torrens eſt vbi magna caligo vmbraque eſt ex arborum cauſata multitudine, quæ ibidem excreſcebant: vel nominandus Cedron, quod ſignificet torrentem Cedrorum, iam ante declarauimus, ſimul etiam quæ ſub hoc nomine ſignantur profunda myſteria.

Tertium

Pſ. 68. 1.

Quartum ſit: quòd ſeceſſerit: *In montem Oliuarum*. Hieruſalem fundata eſt ſuper montem, deſcendit Dominus ad torrentem, & aſcendit montem Oliuarum, montem, ad quem Chriſtus frequenter conueniebat, quod D. Lucas intimat: *Secundum conſuetudinem*. Cum mons ſit, opportuus eſt locus, ſed nobis conuenientor cum mons ſit oliuarum. Et quo tenderet melius Chriſtus tempore Paſſionis ſuæ, quam ad montem oliuarum? Origenes interpretatur oliuam in ſacrâ miſericordiam: & Chriſtus Dominus ad myſterium properat talis

Quartū 12 [illegible]

*Luc. 22. Tract. 35. in Matt.*

talis miſericordiæ quâ mundus non audiuit inſigniorem. Egreditur Dominus de Hieruſalem, ſacrificium inchoaturus, in quo diuinæ ſatisfieret perfectè iuſtitiæ de peccatorum noſtrorum iniuriis: ad hoc ergo montem aſcendit: *In monte Dominus videbit.* Illic videbit Dominus in monte iſto quid hic rerum agatur; quòd Iſaac alligetur, & agnus occiſus immoletur. Hic virgultum extat Sabech, id eſt; *Remiſſionis* quia ad locum pergit, in quo Pater omnem ſuam exonerabit iuſtitiam. Hoc primùm in monte miſericordiæ: quia ex illa profluxit, quòd ad illud egreſſus ſit debitum, quod nobis erat proprium, & motus pietate ac miſericordia ſua, hoc ſibi lubens impoſiti, vt eo modo ex integro diuinæ ſatisfieret iuſtitiæ. Detinetur aliquis ex debito captiuus, non habet vnde ſoluat, & in carcere langueſcit moriturus. Compateris illi atque vadem offers merâ ductus miſericordia, qui debitum pro illo ſoluas. Præcedit motus ille tuæ pietatis, & ſequitur executio, ac iuſtitia ſuper familiam tuam, tuaſque facultates. Domine non es huius debiti reus, Fateor, at ego me ſponſorem ſtatui & debitorem ex miſericordia, & ita ſoluo ex iuſtitia. Mons oliuarum, locus eſt miſericordiæ; quia ex miſericordia prouenit quòd Deus noſtram aſſumpſerit naturam, noſtraque ſibi peccata impoſuerit: *Tradidit ſemetipſum pro nobis.* Ex ſeipſo, qui fons eſt miſericordiæ, prodit quòd noſtrorum debita ſuſceperit ſoluenda flagitiorum. *Poſuit Deus in eo iniquitatem omnium noſtrum.* Pro nobis fideiuſſor eſſe voluit, & hoc mera permotus, miſericordia. *Deus qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, viuificauit nos in Christo.* Miſericordiæ adſcribit Apoſtolus theſauros & diuitias Dei, ſortem ſuam primariam, atque ex ea teſtatur veniſſe quòd à debito ſcelerum noſtrorum per Chriſtum ſimus abſoluti.

Gen. 22. 23.

Ephes. 2. 4

Inde verò tranſgreditur ad iuſtitiam: *Ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ*, quæ in eo executioni mandabatur vt à noſtro fideiuſſore, pateretque illius impletio: *In monte Dominus videbit:* atque in ariete perfectum eſt, quod in Iſaac erat perficiendum. Quàm ardens & anhelum fuit Iſaiæ deſiderium, quo poſſet hoc videre myſterium: *Emitte agnum Domine, dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* Nunc ecce completum: hic etenim oſtenditur Agnus & Dominus, Deus & homo, diues & pauper, Rex & manſuetus Agnus & Dominus; tali nobis opus eſt, non ſeuero vt olim, qui ardens ſolo nos abigat in fugam, ſed benignus ſit, pius & miſericors: *Tunc dixi: Ecce venio vt faciam voluntatem tuam Deus.* Adſum humilis & obediens, vt agnus ſacrificio conſecratus, O Samuel diuine: nam rogatus à ſenioribus: *Pacificuſne eſt ingreſſus tuus:* Reſpondit: Pacificus & hunc illis ſecuritatis titulum propoſuit: *Ad immolandum Domino veni: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam,* Venit vt Gedeon, vt vincat non armorum, aut tormentorum viribus præpotens ſed lagenas confringendo, lucemque demonſtrando. An ergo Dominus, vt vinceret non erat in fortitudine venturus? *Dominus in fortitudine veniet.* Vtique: porro hæc fortitudo, eius eſt manſuetudo: per hanc ſuperat, ſubigitque aduerſarios: hanc etenim lucem videt Centurio, & exclamat: *Verè filius Dei erat iſte.*

Isai. 16. 1.

Si igitur ad demonſtrandam Chriſti potentiam, ad ſatisfaciendum pro cunctis mundi ſceleribus, hominesque à ſeruitute redimendos, venit vt moriatur, & vult, vt humanitatis ſuæ hydria confringatur, vt hanc cum Gedeone obtineat victoriam, & tota hæc fortitudo eius eſt manſuetudo, & miſericordia; vt ad mortem tenderet, an non à miſericordia debuiſſet incipere? Ad hoc exprimendum pergit ad montem oliuarum; hinc illum educunt ad executionem diuinæ iuſtitiæ: quia per miſericordiam exiit ad exonerationem & ſatiſfactionem iuſtitiæ, quæ manifeſtata eſt eluxitque in eius morte cruciſque Paſſione. Deinde docere nos vult Chriſtus doctrinam valde admirabilem. De monte ad montem proficiſcitur, de monte Sion ad montẽ Oliuarum, vt intelligamus oportere vt noſter intellectus ſemper proficiſcatur: *Tranſiens colles* montes ſemper ſurſum aſcendat, nunquam deorſum deſcendat nec moretur in rebus mundanis & abiectioribus. Ita notat Origenes inhærens illi quòd Chriſtus non hæſerit in torrente, ſed quòd ſtatim montem aſcenderit, ne nos hæreamus in huius mundi tranſitoriis, ſed intellectu & voluntate ſemper ad cæleſtia ſurſum erigamur.

Quantum profertur, quòd ſeceſſerit: *In villam quæ dicitur Gethſemani.* Quanto pergit vlteriùs tantò fuſiùs explicat Euangeliſta locum

cum itineris quod Chriſtus perficit: de monte inquit, tranſit ad villam ſeu prædium Gethſemani ſitum in eodem monte Oliuarum: de villa inquit, perrexit ad hortum vt impleatur illud quod dixit Apoſtolus, quod In aduentu ſuo in mundum ſemper ſeipſum euacuauerit. *Exinaniuit ſemetipſum:* nam de monte cœlorum deſcendit in prædium ſeu hortum huius mundi, & exinde ad hortum vrbis Hieruſalem. Et myſterio congruenter venit Dominus ad villam hanc: etenim de illa dixit Diuus Hieronymus quòd Gethſemani villa erat ſeu vallis ex qua deducebantur victimæ pro ſacrificiis & quod ſignificat: *Vallis pinguis.* Nec poterat ex aptiori loco ſuam ordiri paſsionem, quam ex villa pingui ſacrificiorum, vt pinguem oſtenderet Dei charitatem in ea coruſcantem: *Propter nimiam charitatem ſuam,* & quod ſacrificium fuit adeo pingue, vt debito ſcelerum omnium totius mundi æquiualere potuerit: *Agnus Dei qui tollit peccata mundi.*

Sextum meditemur quod introiuerit in hortum: *Vbi erat hortus,* O hortum fœcundum, & quot producis flores myſteriorum Dei pulcherrimos. Non eo receſſit Dominus fugam meditatus, nec quærens latibula, ſed quia: *Sciebat Iudas locum.* Poterat Chriſtus ſibi fugâ conſulere, ſed noluit: verùm tali ſe loco ſtatuit quem Iudas qui eum erat traditurus, optimè callebat, atque minori ſuo incommodo eum reperiat, nec deluſus irrideatur, quærens eum vbi non inueniretur, idcirco ad hortum ſe recepit. Deinde eo pergit ad maius bonum & vtilitatem Iudæ: quia cum non inueniret illum in domo vbi cœnam ſumpſerat, dum paruo hoc ſpatio obambularet, tantò plus illi temporis ſupereſſet ad pœnitendum. In hortū ſe collegit, vt ibidem caperetur. In Geneſi legimus quod creauerit Deus hominem, atque ad maiorem nouæ ſuæ creaturæ ſecuritatem, hortum creauerit, in quem illum miſit, & hortus dicitur Gan ex verbo Hebraico *Gana,* quod Latinè dicitur: *Protegere, abſcondere, circumuenire.* Et in hac ſignificatione reperitur in S. Pagina. l. 4. Reg. Et Dei mandato dixit Iſaias Regi Ezechiæ: *Protegam vrbem hanc.* & Zacharias eodem verbo vtitur Gannati, vt diceret, quod Deus protegeret & defenderet eos: *Dominus exercituum proteget eos,* & Septuaginta tranſtulerunt verbum Magen, clypeus, ſcutum. Videatur noſter Pagni, in theſauro ſuo, & ibi hæc tranſlatio reperietur: Hinc infertur cur protectores dicantur Magnates ex verbo Hebraico *Magenim. Dilexerunt afferre ignominiam protectores eius,* ait vates Oſeas, & in Hebraico huic verbo Protectores reſpondet verbum: *Maginim.* Et iterum Pſal. 46. idem verbū legitur loco illius: *Rex omnis terræ Deus, pſallite:* quod ſignificat defenſorem & protectorem.

Oſee. 4. 18.

Pſal. 46. 8.

Itaque eo animo primum hominem in horto ſeu paradiſo collocauit, vt ibi protegeretur & defenderetur, & ablatis omnibus offendiculis atque aëris iniuriis & intemperie, qui eo loco purior erat, cum minori periculo illum offendendi illic quietè viueret. Nihilominus eum ibi diabolus inuenit, laqueum illi tetendit, & irretiuit. Eò tendit hic Dominus, & ibi ſe transfigurat, & humanæ naturæ patefacit infirmitatem, & timore concutitur: quatenus diabolus adueniens eum capturus ſuorum manu miniſtrorum, ipſe derideatur, homo verò protegatur. In horto formidat Chriſtus, in illo affligitur; quid hoc Domine, hoc ne animo eò perrexiſti? Clariſſimè meminiſſe debuit Adami quando in hortum receſſit, quem creauit atque in illo ſtatuit, vt ibi defenderetur, arbores illi præberent vmbram, flores eum lætificarent ſua grati formoſitate, & odore recrearent ſalutifero, fructus arborum eum mirificè ſuauiterque delinirent. Atque in iſto loco tantæ ſecuritatis & protectionis periit: ad hunc eundem feſtinat locum Dominus vt maneat fideiuſſor. Aliquorum ſententia eſt quòd ad hortum receſſerit, vt ſine vlla turbatione vacaret orationi. Theophilactus ſentit vt eum ſine tumultu caperent & commotione populi D. Athanaſ. vt Diſcipulis ſuis oſtenderet quatenus ſe parumper à perſecutione ſubducerent. Porro veniamus ad myſterium.

In c. 14. Marc.

In Apolog.

O Domine quàm tibi congruus eſt hortus ad animi tui propoſitum? Naſcendo hortum intraſti: nam operâ conceptus fuiſti Spiritus S. in puriſſimis virginis Mariæ viſceribus: quæ hortus dicitur concluſus: *Hortus concluſus.* Ergo moriendo hinc ſumendum erat Paſſionis tuæ principium: quinimo ad finem Paſſionis tibi etiam hortus paratur, cum in illo fueris ſepultus: & in horto rediuiuus apparuiſti. O Domine tot horti quo fine? Quia creatio hominis

Cant. 4. 12.

fuit in horto, in eo ſimiliter eius debebat inci-
pere recreatio. Hortus Domini Eccleſia, ſic
bene D. Ambroſ. hortus Domini eſt anima
In Pſal. 36. hom. 1. l. 5 ſtro. noſtra, ſic Tertullian. hortus eſt Sacra Scrip-
tura, teſte Origen. Hortus eſt totus hic mundus
approbante D. Clemente Alexandrino. Tu
Domine mi, paſſione tua Eccleſiam illumi-
naſti, animam redemiſti, S. litteras aperuiſti,
mundumque reparaſti: *Vbi erat hortus*: Valde
conſonum eſt rationi vt in horto paſſurus
incipiat. Noſtræ perditionis initium fuit in
horto: & in horto noſtræ ſit redemptionis
initium. In illo vetus homo, in hoc nouus: in
illo Adam, in hoc Chriſtus: in illo vicit tenta-
tio, hic vita proſternitur: in illo malignus
apparet ſpiritus, hic bonus Angelus: in illo
præcipitat diabolus, in hoc ſolatur Deus: in
illo vacatur deliciis, in hoc tolerantur agoniæ:
ſed de illis deliciis noſtræ naſcuntur agoniæ,
& de his agoniis noſtra gaudemus bona pro-
uentiſſe. Seminauit Adam in horto voluptates
ex quibus omnes meſſem colligimus crucia-
tuum: hic cruciatus Chriſtus ſeminat, ex qui-
bus prouentus oritur, orieturque bonorum
gratiæ & ſalutis abundantiſsimus.

*§. 9. Ad impletionem oraculi Zachariæ permiſit Deus Apoſtolorum ſcandalum, circa Paſſionem mortemque Chriſti: & ille hortum aſcendens, illud ipſis proponit quo præmoneat illos, & Reſurrectionis ſuæ promiſſione confirmet.*

14 CIrca horam noctis octauam, duabus horis
poſt veſperam tranſiuit Chriſtus torren-
tem Cedron, & hortum introiuit, diſcipulos
ſuos inſtruens comites ſuos metu conſter-
natos, cordeque pauidos, de his quæ paſſurus
erat & morte ſibi proxima; ait illis: *Omnes vos*
Matt. 26. 31. *ſcandalum patiemini in me in iſta nocte: Scriptum*
Marc. 14. 27. *eſt enim: Percutiam Paſtorem, & diſpergentur*
Zach. 13. 7. *oues gregis.* Commune habet Prouerbium:
Amica conuerſatio leuis eſt in via equus: dum
enim ſermo fit, de rebus gratis & auditu iu-
cundis, licet iter moleſtum ſit, non tamen ſen-
titur. Fortaſſe Chriſte in hoc aſpero itinere,
quod aggrederis in nocte adeo moleſta, cum
diſcipulis tuis grata tractas & iucunda? Ne-
quaquam, ſed de grauioribus pœnis quibus
præter omnem modum affligitur, imo & ipſi
diſcipuli percelluntur, quibuſcum ſermocina-
tur: *Omnes vos ſcandalum patiemini &c.* q. d.
O amici, ô fratres, ô filioli mei, amicus veſter,
frater veſter, magiſter veſter iam moriturus
eſt, & diligentiam non adhibebitis vt illum
defendatis, ſed nec vt eum ſequamini: ad
primum ventum vos patiemini eradicari, vt
plantas quæ radices non egerunt profun-
diores: ad primum terræ motum, vt male
fundata ædificia corruetis, ad primum hoſtis
impetum vt meticuloſi lepores fugam capeſſe-
tis: tanto frigore conſtringemini, vt congelati
videamini. *Omnes vos.* Et tu Petre, cui adeo
præclaras iuraui prærogatiuas omnium pe-
ſſimè mihi terga vertes infidelis. Tu Andrea,
quem de naui vocaui, & à retibus & apparatu
piſcatorum, meumque creaui Apoſtolum,
me magis paſsionis obrutum ſolum et relictu-
rus.

Porro ratio poſtulat, vt notemus circa hæc
verba, primo ex parte Dei, quare lapſum hunc
& errorem Deus in Apoſtolis ſuis permiſerit?
Secundò: ex parte Apoſtolorum, par eſt vt
videamus qua fecerint hoc mali occaſione?
Tertiò: ex parte Chriſti: cur hoc illis præ-
dixerit, & quare verbo ſuo veterem adimple-
rit prophetiam. Et quartò: quomodo eos
demulceat. Circa primum, Quæ ratio, quod
Deus permittat omnes Apoſtolos in morte
Chriſti errore cadere ſcandali. Plures à Docto-
ribus rationes adferuntur. Prima: vt oraculum
impleatur Zachariæ à Chriſto productum:
*Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis.*
Et eſt hoc valde familiare Euangeliſtis, dum
rationem eius quod Chriſtus agit, addere: *Vt
adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam.* Imo
& ipſe Chriſtus hoc in rationem adducit eius
quod dicebat & faciebat: *Quomodo ergo im-
plebuntur Scripturæ?* Verum quis neſciat, quod
prophetia nullam illi imponat neceſſitatem,
quod prædicitur, ſed tantum dicat quod fu-
turum? Prophetia dicit, quod veniet, ſed non
hoc facit vt veniat: quia aliquid futurum eſt,
prædicitur, & non quia prædicitur, euenit.
Dicit Aſtrologus, cras pluet: hoc enim lex
Aſtrologiæ cognouit: non ideo pluit, quia
ipſe dixit, imo potius ideo dixit, quia ſic futu-
rum erat. Theophilact, D. Cyril. & D. Ioan.
Damaſcen. dicunt hanc particulam, *Vt*, non
ſemper notare cauſam, ſed etiam cauſam &
euentum: *Tibi ſoli peccaui & malum coram te
feci.*

*ſeis, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis*, q. d. *Ex hoc iuſtificatus es*. Idem notamus in Apoſtolo Paulo: *Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt &c. vt ſint inexcuſabiles, &c.* q. d. *Ex hoc ſunt inexcuſabiles*. Et alio loco eodem verbo idem declarat: *Lex ſubintrauit vt abundaret delictum*: q. d. *Ex hoc conſecutum eſt*. Et apud D. Ioan, Chriſtus eodem ſenſu loquitur: *Vt manifeſtentur opera Dei in illo: vt videntes non videant*: ſunt & alia infinita Sacræ Scripturæ loca hoc idem confirmantia. Ex præfatis inferunt D. Epiphan. & D. Chryſoſt, quod illud: *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam*: idem ſit ac: ſic factum eſt, vel hoc facto completum eſt Zachariæ Vatis oraculum. Omnia fiunt, quia Deus illa ſic fieri ordinauit: *Ita Pater quoniam ſic placitum fuit ante te*. Quod autem primò dicatur, non eſt cauſa cur fiat, ſed verum eſſe oſtendit. Quocirca ſi noſſe deſideres cur permiſerit Deus adeo turpem in Apoſtolis lapſum: ratio primaria eſt Dei voluntas. Quid eam igitur mouit? Stupendam audi rationem.

Quare hoc permiſit? Quia ipſe diabolus ſua oratione hoc à Deo impetrauit, vt Apoſtolos tentari pateretur. Quid hoc, diabolum orare? diabolum orare & à Deo in oratione exaudiri? Vtique. An ignoras illud de Iob, cum immundus ille ſpiritus adſtaret coram Deo, illique Deus in faciem virtutem Iob exprobraret, orauit tantum, vt daret ſibi licentiam illum tentandi, quam & obtinuit, cui ſic Deus: *Vniuerſa quæ habet in manu tua ſunt, verumtamen animam illius ſerua*. Præterea apud Matthæum cum Chriſtus integram dæmonum legionem ab homine quodam expelleret, *Rogauerunt eum dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in porcos*. Et adiunxit Euangeliſta: hoc conſecuti ſunt: etenim dixit illis Chriſtus: *Ite*. Idem refertur apud Diuum Lucam, diabolus non ferens ſpectabilem Apoſtolorum bonitatem, cognoſcens vel ſibi timens de damno, quod ab eis eſſet accepturus, Deum rogauit, vt ſibi liceret eos pulſare tentationibus, & impetrauit. *Expetiuit, id eſt, impetrauit ad tentandum*, expetiuit. Idem eſt ac *Depopoſcit, vel poſtulauit*. Ita interpretantur D. Ambroſ. D. Cyprian. & Tertullian. Itaque verbum illud: *Expetiuit*, ſignificat: *Rogando obtinuit*. Rogando à Deo hoc impetrauit, Dei Maieſtatem rogando: *Vt cribraret* ſignificat, *Vt tentaret*. Conceſſit illi Deus tentare Apoſtolos? Vt *cerneret*, legit Lyra. & D. Cyprian. declarans hoc verum: *Cerneret*, dixit ſignificare: *Vt vexaret*: nam diabolus à Deo conſecutus eſt poteſtatem illos anguſtandi, & vexandi, vireſque eorum tentandi, Tertullian. interpretatus eſt: *Vt diſcerneret*. Optima metaphora: *Diſcernere*, & illa vtitur Amos Propheta. *Concutiam domum Iſrael ſicut concutitur in cribro*. Fuerunt Apoſtoli diſcreti à diabolo, & velut in cribro concuſſi: boni ſicut triticum, fortes extiterunt, puluis vt Iudas excidit: *Sicut puluis quem proiicit ventus à facie terræ*. Et hæc omnia ad inſtantiam preceſque diaboli. In oratione notatur meritum & impetratio: quidam merentur, & non impetrant, vt iuſtus qui petit & non obtinet: ita D. Paulus: *Propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me &c. Sufficit tibi gratia mea*. Alij merentur & impetrant, vt D. Petrus Tabithæ reſuſcitationem. Alij impetrant, ſed non merentur: ſicut dum peccator petit aliquid conformiter diuinæ voluntati, & hoc modo fuit illa dæmonis oratio, circa tentationem Apoſtolorum, quam illi Deus conceſſit: quia diuinæ ſuæ ſic placebat voluntati permittere vt à dæmone tentarentur.

*De fuga in perſecut.*
*Amos 9,9*
*Pſ. 1. 5.*
2. *Cor.* 12. 8.

25.

IV.
Noſtræ ſeruit hic lapſus conſolationi.

Quoad ſecundum, conſiderandum, qua de cauſa permiſerit Deus, vt multi tentarentur & laberentur. Diuerſas hic Expoſitores proferunt rationes. Prima ſit ad noſtram conſolationem, vt nouerimus diabolum nihil poſſe nobis efficere ſine expreſſa Dei licentia, nec acriùs nos tentare poteſt quam Deus illi permittit: *Non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis*. Secunda ſit vt continuo nobis caueamus & timeamus & periculum ſciamus tentationis cui ſubiacemus. Si Apoſtoli, pro quibus Chriſtus orauit tentationis certamen non euaſerunt, & quamuis illis fides non defecerit, ſaltem *Omnes ſcandalizati ſunt*, quantò magis par eſt timere nos in tentationibus quibus nos diabolus impugnat, qui tantas non habemus gratias à Deo ſubſidiarias (a). Tertia, vt perſpecta ſit nobis, cum D. Chryſoſt. fortitudo animique robur quod illis aduentu Spiritus Sancti accreuit, quando eo accepto, parum eſt quod ſcandalizati non fuerint: ſed inſuper: *Ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*. Deinde ne de ſe præſumant, & ſciant hæretici gratiam poſſe amitti: idcirco

1. *Cor.* 10. 13.

*(a) Ayudad de coſta.*
*Ho. 38. in Ioan.*
*Act. 5. 41.*

lapſus hic à Deo permittitur, vlterius vt ſeruiant exemplo Prælatis, & in ſeipſis diſcant, qualiter benigni debeant ſubditorum ſuorum infirmitatibus miſeriiſque compati. Ceterum inſpiciamus quomodo ſcandalum paſſi ſint de re toties dicta, & ita perſpecta: toties enim, & ita ſingulariter Christus hoc illis & futurum prædixerat, & myſterium explicauerat, quia carnales erant & animales. Vnde D. Paulus: *Animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei.*

1. Cor. 2. 14.

Timor Iudæorum animum illis eripuit & infirmauit; quodque illa tam repentinè contingeret vt videantur illis ligati fuiſſe ſenſus quibus ſuper ſe reflecterent, Et hoc euidentiùs explicatur per illud, quod duo illi dixerunt tendentes in Emmaus: *Nos ſperabamus quod ipſe eſſet redempturus Iſrael.* Etenim vt carnales non intelligebant ſpiritualiter hoc quod ad ſpirituale Chriſti regnum attinebat.

Luc. 24. 21.

V. Quare Christus eis hanc ſcandali dederit cauſam. Matt. 18. 6. L. de qq. breui. q. 64.

In tertio puncto nobis video ſiſtendum cur Dominus hanc illis occaſionem ſcandali præbuerit. Quæ potuit ad hoc Chriſtum mouiſſe ratio? Nonne tu Domine dixeras: *Videte ne ſcandalizetis vnum ex his puſillis?* Cur hoc agere non omittis, quod diſcipulis tuis mouere poteſt offendiculum? D. Baſil. reſpondet, quod illa opera quibus faciendis adſtringor, ſi alius inde ſcandalum ſumat, non teneor illa prætermittere: illa verò quæ teneor non facere, tantò magis mihi illa ſunt omittenda, quantò grauiùs pariunt alteri ſcandalum. Sunt & alia, ad quæ non obligor, nec ſunt de præcepto, ſed indifferentia, & hæc, ſi ſcandalum timeatur, ſunt omittenda. Conſtrictus ſum ieiunio Quadrageſimali, remiſſioni iniuriarum: alius ex hoc patitur ſcandalum, & me iudicat hypocritam; ſit ita, ſumat inde ſcandalum, nihil mea intereſt, proſequar ego ieiunium; nam *Cæcus eſt & dux cæcorum.* Teneor non blaſphemare, ſi quis alius audiens me ſcandalizetur, tantò pecco grauiùs & tantò tenebar ſtrictiùs non blaſphemare. Ambulare poſſum & non ambulare per talem plateam; ſed per illam incedendo, aliquis ſcandalizatur, qui neſcit quam habeam intentionem per illam gradiendi: teneor hoc illi auferre, neſcit enim de rebus prout in ſe ſunt, iudicare; & ſcandali tollere occaſionem. Et hoc diſco ex D. Paulo, ait enim: *Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Paſſio Chriſti non erat peccatum, nec

Matt. 15. 14.

VI. Scandalū datum & acceptū.

1. Cor. 8. 13.

illam ſubire, quinimo illa omnia tollebat peccata. Nec erat indifferens: quia Chriſtus ex æterna determinatione, Patriſque ſui mandato mori tenebatur, & his conſequenter, aiebat diſcipulis ſuis: *Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.* Et hæc ea fuit ratio, ob quam amoto obſtaculo ſcandali diſcipulorum, Paſſionem ſuam impleuerit, eiſque tam diſtrictè antequam pateretur, illam indicauerit: *Omnes vos ſcandalum &c.*

Ex S. Pagina colligimus, quòd ſtatim ac Chriſtus aliquem dono fuerat proſecutus ſingulari, continuò illum mortificaret. Ait illi D. Petro *Beatus es Simon Bar iona &c. Et tibi dabo claues regni cælorum.* Et cum tam eminens hoc ſit beneficium, dignitaſque adeo præclara, confeſtim acrem infligit illi mortificationem: *Vade retro me Satana.* Exorſus eccleſiæ ſuæ regimen paſtorem illū & caput eiuſdem creat: *Paſce oues meas:* Nullum eſt in illa dignius officium, cum illi vices ſuas committat ſuoque loco vice Deum ſubſtituat. Inſigne beneficium: ſed ſtatim illum mortificat proponens illi moriendi debitum, quo veſtigia mortis ſuæ in cruce ſectari teneatur: *Quid ad te? tu me ſequere.* Prædixerat Chriſtus Apoſtolis officia præclara, ad quæ illos in regno eccleſiæ ſuæ promouebat, ſedes inquam illas deſignans primarias, quas in illa poſſiderent Regni primates: *Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael:* & ilico materiam proponit illis ſatis amaræ mortificationis, dum illis hæc dolenda nimis prædicit: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta.* Conuenit Manna temperare, quod omnes delicias & omnes offere appetitus virga tribulationum, verberum & mortificationum, & ſtatêram in æquilibrio ſtatuere hanc onerando, ne alia onerata corruat. Siquidem hoc eſt quod Chriſtus intenderit, & aſſentit Diuus Hieronymus, quòd hæc illis dicendo, voluerit illos præmonere, quatinus videndo hæc ſibi prædicta fuiſſe & ad memoriam reuocata antequam fierent, poſtquam euenissent, eorum recordati, tantò faciliùs poſſent Apoſtoli ab errore caſuque reſurgere: *Omnes vos ſcandalum patiemini &c.*

Omnia verba hæc ſcatent myſteriis. Ex illis colligit noſter Cardin. Caietan. Iudam huic ſermoni non interfuiſſe, nec cum reliquis Chriſto ſocium adhæſiſſe: quia Iudas: Non ipſe

*paſſus ſcandalum, ſed fecit ſcandalum*, at amplius: iam fuerat egreſſus: *Vnus ex vobis per peccatum me tradet*: ita Theophilact. expoſuit hoc: *Ex vobis, extra vos. Omnes vos*. Omnes vos reliqui vndecim: *Scandalum patiemini*: vacillabitis in fide, propter ea quæ in me videbitis, omnes vos vndecim fugam inibitis, & me ſolum relinquetis, & hoc fiet: *In iſta nocte, in nocte* qua emetati veſtræ optimè conueniet hora noctis, vt ait D. Hieronym. quia nondum aduenit dies gratiæ Spiritus S. tali diues vbertate, vt dicit Origen. etenim volo ego vt negotia tempori conformentur, vel tempus illis; tempus rebus agendis, inquit D. Ambroſ. nam in tempore frigidiſſimo patuit animæ Petri frigiditas, illi deficiente charitatis igne, & ita tempus fuit frigidum: *Frigus erat*. Et addit Chriſtus oraculum: *Scriptum eſt enim: Percutiam Paſtorem & diſpergentur oues gregis*: Quod expreſſè legitur apud Zachariam: *Framea ſuſcitare ſuper Paſtorem meum, & ſuper virum cohærentem mihi. Percute Paſtorem*. De gladio loquitur per quem intelligit rabiem Iudæorum, cui permittit vt euaginetur ad illum cruciandum, & contra Chriſtum inſoleſcat. Quando Propheta loquitur, videtur quòd gladium exhortetur, vt hoc agat, & Chriſtus inuocitat eo modo, vt Deus hoc agere videatur: *Percutiam Paſtorem*: attamen omnia conueniunt. Deus hoc agit, quia hoc fieri permittit ex decreto ſingulari, & rabies Iudæorum hoc agit, illud perpetrando.

Prodidit Chriſtus hoc vaticinium. Primò: quatenus pateat quàm voluntariè & quàm libenter moriatur; quandoquidem mors eius tes eſſet à tanto tempore decreta atque adeo diſpoſita. Secundò propter certitudinem eius quod fiebat, cum in eius paſſione nihil acciderit quod non eſſet prædictum & à Prophetis annunciatum. Sublime vaticinium. *Paſtor & vir cohærens mihi*. Duo præcipua Chriſti nomina hic notamus expreſſa: *Paſtor*: quia Chriſtus Dominus eſt ille Paſtor, qui relictis nonaginta nouem ouibus in deſerto, vnam quæſiuit aberrantem: quia non vult, vt vel vna ſola pereat. Paſtor eſt qui dum illam inuenit imponit in humeros ſuos, & defert ad ouile: *Ego ſum Paſtor bonus*: vir perfectus: *Vir cohærens mihi*: Quia perfecto ſemper ſtatu viri floruit, etiam in ipſis puriſſimæ Virginis & Matris viſceribus: *Fœmina circumdabit virum*. Adhuc amplius: eſt enim: *Cohærens Deo*: quia fuit filius eius vnicus & dilectiſſimus. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Ita Patri vnitus, vt in natura vnum ſit cum illo: *Cohærens mihi*. Et hoc ipſe declarauit dum ait: *Ego & Pater vnum ſumus*. Dum igitur ictus rigoris per frameam malitiæ ſuæ, & furoris Phariſæorum libratur in Paſtorem hunc diuinum: *Diſpergentur oues gregis*: Omnes Apoſtoli & diſcipuli in fide nutauerunt inconſtantes: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me*.

Hiere. 31. 22.

Matth. 17 5.

Ioan. 10. 30.

26

In quarto & vltimo conſideranda venit conſolatio quâ Chriſtus Dominus noſter, & omne bonum demulcet lenitque Apoſtolos. Atque inter alia duo ſunt inſigniora, quibus afflictos ſolabatur. Omiſſa prophetia illis propoſita: nam illa poterat illos ſolari quàm maximè, dum audiunt ab eo demonſtrari ſic à Deo cuncta eſſe ſtatuta & præordinata. Primum eſt, quod ſuam illis futuram prænuntiat reſurrectionem. Hanc prædixit quando grauia illa ipſis indicauit quæ paſſurus erat in Hieruſalem, quando cunctis in comitatu illius eò aſcendentibus in via declarauit ipſis omnes paſſionis ſuæ circumſtantias: *Ecce aſcendimus Hieroſolymam & filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum*: Verùm confeſtim adiungit: *Et tertia die reſurget*. q.d. Siquidem vos mœrore poſſit affligere videre me talem qualem me vobis in paſſione mea deſcribo, quòd vos omnes ſcandalum patiemini in tormentis meis, contumeliis & opprobriis, quibus me torqueri conſpicietis: verumtamen & magna vobis offertur gaudendi materia, quòd triduo à morte mea triumphans reſurgam & glorioſus.

VIII. Chriſtus ſua reſurrectione ſolatur Apoſtolos.

Matt. 20. 16.

Secundum eſt quo reddit illos certiores, quòd illos iam reſuſcitatus denuo viſitaret: *Præcedam vos in Galilæam*. quod huic conuenit: *Iterum videbo vos*, O felix & beata Galilæa: annuntiatur vita Chriſti mortalis: *Miſſus eſt Angelus Gabriel in ciuitatem Galilea, &c*. Et ibidem vita annuntiatur immortalis & glorioſa eiuſdem Domini Saluatoris. Galilæa ſignificat *Rotam*. Huc reuertar, & vobis apparebo: etenim omnium fiet miranda conuerſio. Reuertar Pater ego ad vos filios. Magiſter ad diſcipulos, Dux ad milites, Pontifex ad Sacerdotes, Rex ad ſubditos, caput ad membra, Paſtor ad oues. Quanta nunc fiet immutatio: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra*.

Matt. 26. 32.

IX. Et etiam viſitatione.

Matt. 28. 18.

Ibi mihi poteſtas tribuetur vniuerſalis eaque iudiciaria ſuper viuos & mortuos, & dominium ſuper cœlum & terram vniuerſale: quia cum humiliatus fuerim vſque ad mortem adeo vilem & ignominioſam, qualem omnes mortem crucis inſimulant: aſcendam & exaltabor vſque ad ſuprema cœli conuexa: *Qui deſcendit ipſe eſt & qui*. Ille eſt qui tantum deſcendit, ſed inde ſecutum eſt, vt ipſe eſſet, qui ſuper omnes cœlos altior exaltaretur. Qui aſcendens ſuper omnes cœlos, ſedenſque ad dexteram Patris. An non ergo tantæ demonſtrationes exaltationis & gloriæ Magiſtri ſui materia fuerint diſcipulis ſummæ conſolationis? Nunc dicendum foret de viribus animoſis quas D. Petrus Chriſti verbis reſpondens oſtendit, atque de ſecuritate, quâ ſe ſuper omnes diſcipulos efferebat, & ad mortem vſque Chriſto ſe comitem promittebat adhæſurum: tantò namque, quantò fuerunt eius oſtentationes, & iactationes celebriores, fuit poſtmodum lapſus eius ignominioſior. Porro de hoc latiùs egimus Hom. 43. quæ negationem, lacrymas & conuerſionem huius Apoſtoli Petri complectitur: quocirca tantò citiùs agemus de Chriſti paſsionis argumento.

Ephes. 4. 9

*§. 10. In oratione qua Dominus æternum ſuum rogauit Patrem iam Paſsionem ſuam ingreſſurus, omnium ſtatuum hominibus oſtendit ipſam eſſe medium obtinendi à Deo dona ad victoriam de omnigenis reſerendam tentationibus.*

27 INgreſſus igitur eſt Ieſus hortum cum diſcipulis ſuis, vt in eo Patrem ſuum æternum oraret, & omiſsis ſeorſum octo Apoſtolis ad locum ſeceſsit ab illis ſeparatum cum Petro, Iacobo & Ioanne, & iam vacans orationi timere cœpit vltra modum, & contriſtari. D. Matth. & D. Lucæ verbis hoc explicant admirandis: *Sedete hic donec vadam illuc & orem. Suſtinete hic & vigilate mecum. Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. Et aſſumpto Petro & duobus filiis Zebedæi cœpit contriſtari.* Verba ſunt hæc, quæ licet ab vno continuò ſcripta non ſint Euangeliſta, veruntamen illa dixit Chriſtus ab eo tempore quo hortum intrauit, vſque dum Patri ſupplicaret, ſudaretque ſanguinem. Quando Duci exercitus innoteſcit copioſas aduerſus eum hoſtium irruere legiones, & de ſe nouit ſuorum militum manum illi reſiſtendo non ſufficere, manum alterius fortioris expoſtulat auxiliarem, quatenus ſe vires habeat illi obſiſtendo coæquales qui copiis accurrit inſtructus fortioribus, ad hoc inſtat, vrget, preceſque multiplicat intenſiores, potentiſsimus Dux ille eſt, qui nos aggreſſuris accurrit: *Cartilago eius quaſi laminæ ferreæ. Per gyrum dentium eius formido. Corpus eius quaſi ſcuta fuſilia compactum, ſquamis ſi ſe prementibus. Sternutatio eius ſplendor ignis.* Nihil eſt illi robore conferendum, quod ita damno nobis ſtudet inferendo: quia circuit quærens quem deuoret. Ab omni parte facit impetum vbique tendit inſidias, nullibi non impugnat, modo in cogitationibus, nunc in verbis, hodie in operibus, cras in proſperis, hic in aduerſis, ibi in tribulationibus, hoc modo apertè, alio verò clanculum.

Matt. 26. Luc. 22.

Quid plura? Impoſsibile eſt animam poſſe reſiſtere ſine interiori ſubſidio vel vt melius dicamus, ſine gratia diabolicis ſuperiori tentationibus. Idcirco verum hoc eſt remedium à Rege potentiſsimo petere ſuppetias, in cuius comparatione & præſentia, omnes diaboli vires puluis ſunt & venena, fœdus cum Deo ſancire, ſubſidium à Spiritu S. poſtulare, orate, vt docuit Chriſtus: *Ne intretis in tentationem.* O quàm eſt hoc apprime neceſſarium! Parum refert, vt credo D. Cyrillo Alexandrino ſanguinolento ſe credere conflictui ſi tibi cedendum ſit atroz armaque proiicienda: flocci facio feliciter pœna ſoluere, ſi ſtatim tibi ſit pereundum: Quis hoc magnifaciat præcelſam extruere fabricam, ſi ſubito terræ motu vel tempeſtate fundamenta ſint euertenda, & quid denique refert ſalus, ſi bene inceperis, nec tamen conſtans in gratia perſeueres: Si tentatio te ad ima deiecerit ſit peccati, quid inde commodi quod vires contra illud oſtentes? Remedium hoc vnicum eſt quod Dominus præſcribit: Orate Orate ad Deum: eius namque fauore certa tibi erit de tentatione victoria. Vt fixum habeo, hæc verba primò à Chriſto dicta cunctis fuiſſe ſimul iunctis, & deinde tribus aliis quos elegerat ſibique ſocios aſſumpſerat: itaque primo omnibus, deinde tribus aliis ſibi chariſsimis.

Porro priuſquam inchoemus orationem eius

ad

ad Patrem, inquiramus cur quoſdam velit ſeorſum remanere, alios autem ſecum retinere. Cur igitur tres illos ſecum comites aſſumit? O Domine quantis abundant actiones tuæ myſteriis, & documentis cœleſtibus, etiam ſi ſint exiguæ. Tres iubet ſecum gradiantur, & alij octo loco ſuo reſideant, vt oſtendat in Eccleſia ſua gratiarum eſſe donorumque diuerſitatem: *Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus.* Videt oculus, non auris; audit auris, non oculus: ambulat pes, non ſtomachus: digerit pedi ſtomachus, manus denti porrigit, dens diuidit, vt manui diuidatur alimentum: porro cuncta reducuntur ad eos qui ambulant, & qui reſident, quieti, id eſt actiuos & contemplatiuos, Quidam *ſedent* cum Maria, contemplationi vacant quieti cum Maria: alij miniſtrant cum Martha in vita actiua. Octo illis præcipit Dominus: *ſedete hic.* octo contemplaturi beatitudines: alijs vt progrediantur ad trinum, orationem & eleëmoſynam: tres aſſumit, & alij remanent, quia in illa tribulatione & labore pauci Christo comites eſſent inueniendi, in Cœna verò omnes: *Multi tempore tribulationis recedunt*: Petrum & duos filios Zebedæi inter alios Apoſtolos elegit. *Illi tres* præ ceteris cœlorum regnum ardentius amberunt, & in promittendo fuerunt audaciores. Iacobus & Ioannas ſedes ambierunt primatus, & Petrus ait: *Bonum eſt nos hic eſſe.* Omnibus reſpondet: *Neſcitis quid petatis.* Et Et Petrus: *Neſciebat quid diceret.* Quia neceſſario præcedere debebat tribulatio gloriam: labor quietem, vnde & illis dicitur: *Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum?* Idem quod ego ſubire martyrium? *Vtique Poſſumus* reſpondent illi bini fratres. Et Petrus aſſeuerat: *Tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire.* Significant illi duo germani ſe poſſe cum Chriſto perpeti martyrium, eiuſque calicis hauſtum epotare: & alius ſe eandem cum ipſo mortem oppetere: *Tecum.* Ignoratis omnino quam acerbus ſit ille calix. Ad hoc igitur eos deducit ad locum vbi illis oſtendit, quod ipſe formidet huius calicis ebibere amaritudinem, & nedum illis præſentibus fundit preces: *Vt tranſeat à me calix iſte*: ſed coram illis etiam aſtantibus, ait: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

Tres illos præ ceteris aſſumit: quia illi ipſi fuerant quos ſecum duxerat ad quietem & gloriam montis Thabor; pergant igitur illi ipſi ad horti tribulationem: qui namque plura è manu Dei dona recipit, ad plura tenetur & facienda & pro illo ſuſtinenda. Porro ratio præualeat quam omnes habent vt efficaciorem ita & veriorem: aſſumptos fuiſſe, ceteris vtpote ad hæc videnda aptiores: erant etenim illi qui præſentes adfuerant eius Transfigurationi: eratque numerus ille ternarius omnino neceſſarius, quia *In ore duorum.* & ſi negotium graue ſit, *Trium ſtabit omne verbum.* Et ſint hi tres: quia licet maior poſſet eſſe teſtium numerus quòd viator eſſet & peregrinus: ſed quòd exiſtens peregrinus & viator, ſimul eſſet & comprehenſor ac beatus, erat hoc multò difficilius: vnde iuſtum erat, vt eſſent qui de vtroque dignum poſſent ferre teſtimonium. An illum viderant Transfiguratum? Videant igitur illi ipſi eundem vt viatorem: *Cœpit pauere. & tædere, & mæſtus eſſe.* Opus eſt beati transfundere claritatem in corpus: opus eſt viatoris dolorem ad vſque animam peruadere. Vnum ex his operibus videtur in Transfiguratione, & alterum in horto. Sed conſiderare poſſumus Chriſti animam, in quantum Diuinitate fruebatur, vel ſecundum quod erat inſtrumentum illi coniunctum, vt ait Theologus, vel iuxta quod illam in propriis relinquebat viribus: ſi fruitionem ſpectes, beata erat: ſi vt inſtrumentum vnitum, operabatur miracula: ſi vt in proprio curſu & natura: auditur: *Vt quid dereliquiſti me?* Dolores patiebatur & anguſtias. Et illi, quos horum omnium teſtes eſſe oportebat, ratio ſuadebat, vt illi viderent Chriſti animam beatam, & in operando, vt coniunctam diuinitati, miracula, & derelinqui (vt pateretur) propriæ tantum viribus naturæ ſubnixam. Ea de cauſa tres hi Apoſtoli præſentes adſtiterunt Transfigurationi, in qua demonſtrauit ipſa anima ſe diuinitatis gloriâ gaudere vt beatam, in domo Archiſynagogi, vbi anima cum corpore Chriſti vt inſtrumento coniuncto Diuinitati potentiam ſuorum oſtendit prodigiorum. Et hodie præſentes adſunt in agonia, vbi anima Chriſti, quantum ad hanc partem extremas patitur anguſtias.

Deinde tres illos aſſumit quia meliores erant, atque minus de illis periculum erat ſcandali. Graue proculdubio erat videre Chriſtum timore perculſum, & eundem credere

Matt. 18, 16.

„ omnipotentem: illum cernere contriſtatum, „ & credere glorioſum: trementem intueri, quem „ credas immutabilem præmortis anguſtiis con„ triſtatum, quem fides teſtatur immortalem: „ afflictum gementemque audire, quem Angelis „ honoras cœliſque ſuperiorem: dona poſtulan„ tem, genibus in terram colliſis, quem exoras „ vt gratiarum donorumque collatorem: vno „ verbo humanis plenum lugere affectibus, „ quem Dominum Deumque revereris. O peri„ culoſum, forteque prœlium? mihi perſuadeo „ numquam grauiorem datam fuiſſe ſcandali „ occaſionem ex Chriſti magnitudine, quàm hæc „ fuerit, illique habuerunt qui ipſum in horto „ conſpexerunt, nec maiorem vllum tentationis „ impetum, quàm vbi Apoſtoli tam atrocis caſus „ fuere ſpectatores. Vnde iuſtum erat illos aſſu„ mere qui minori periculo ſcandali poſſent „ aſſiſtere: & tales erant hi tres, tempore pietate „ digniores. Et præterea, quia vt habeo ex D. „ Remigio, minori ſubiacebant periculo „ patiendi ſcandalum, ob id quod in transfigu„ ratione viderant. Quare ſi nunc in horto „ videant illum timentem, recordabuntur quòd „ ibi viderint illum Dei gloriâ perfruentem, & „ beatum: ſi triſtem hic conſpiciant, in mentem „ illis veniet, quòd ibi conſpexerint illum gloriâ „ coronatum: ſi nunc afflictum, doleant, occur„ ret illis quòd illum nouerint ſplendoribus „ illuſtrem: ſi poſtulet hic gratiam, quod ibi à „ Moyſe & Elia fuerit honoratus: ſi ſoletur eum „ Angelus in horto, non effugiet illos quod eum „ a Patre in monte Thabor laudatum audiue„ rint: ſi Patri nunc humilis proſternatur, in „ mentem veniet quòd hoc ibi audierint ex Pa„ tris ore teſtimonium. *Hic eſt filius meus dilectus,*
Ro. 32. „ *in quo mihi bene complacui,* Hoc argumentum „ alias latiùs expendimus.

„ Omnibus dicit, hortaturque omnes: *Orate*
18 „ *ne intretis in tentationem.* Non ait illis ne tente„ mini: quia tentatio prodeſt: quia *Non coronabi„ tur niſi qui legitimè certauerit:* obtineri non „ poteſt ſine victoria præmium, nec eſt ſine „ prœlio victoria, nec prœlium ſine conflicta, „ conflictus autem tentatio eſt: ſi non eſſet „ tentatio, vbi eſſet conſtantia fortitudo, patien„ tia, cæteræque virtutes? nam eo ipſo quo tales „ ſunt vt obiectum ſuum conſiderare debent „ arduum & operoſum, de quo diſputat D. Gre-
l. 13. Mat „ gor. *Suſtinete hic.* Poterat quidem Deus omnes
c. 6. „ noſtras in nobis vincere tentationes: vult nihilominus vt etiam ex parte noſtra coope„ remur vt præmium gaudio tanto capiamus „ vberiori. Illi qui menſæ aſſidet fercula in„ ſtructæ opiparis, dulciùs ſapit paſſer quem ille „ capit, vel piſcis quem hamo inuexum extraxit, „ quàm reliqui cibi quantumuis ſapidi ſint & „ delitioſi. Sic etiam noſtris propriis operibus „ maius adfert gaudium præmium, quod illis „ obtinemus. An ergo propriis vincam operibus? „ D. Petrus multa profert quibus ſuperemus. „ *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem „ ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in „ abſtinentia autem patientiam &c.* In horum „ omnium virtutum exercitio ſecuram nobis „ promittit Apoſtolus certamque victoriam. „ Huic accedit D. Paulus. *Accipite armaturam „ Dei, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus „ ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, „ & induti loricam iuſtitiæ &c. In omnibus ſumentes „ ſcutum fidei.* Atque in alio loco declarat nobis „ hoc idem Apoſtolus, in particulari denotans „ quibus armis victoriam aſſequamur. *In labori„ bus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia.* „ Et quamuis multa ſint, omnia tamen ad tria „ reuocantur: quæ ſunt ieiunium, eleëmoſyna, & „ oratio: ad ieiunium reducuntur omnes af„ flictiones, & caſtigationes corporis: ad eleë„ moſynam ſpectant omnia opera miſericordiæ „ vel beneuolentiæ: oratione ſeruiunt ea quæ „ Dei tangunt obſequium: vel ſi placet dicamus „ ita: ad ieiunium, omnia opera hominis reſpectu „ ſuiipſius: ad eleëmoſynam intuitu proximi: ad „ orationem in ordine ad Deum. Ad tria capita „ reuocantur his oppoſita: ad ſuperbiam, luxu„ riam, & auaritiam: hæc præcipua ſunt nobis „ præcipitia.

Diabolus Hebraicè tribus nominibus indi„ catur: *Mammona, Aſmodaij & Nazazel. Mam„ mona* denotat Auaritiam, *Aſmodaij* Superbiam „ & *Nazazel* Carnē, Quis triceps ille Cerberus, „ quæ Parcæ; quæ Erynnides? Illæ ſunt fauces „ quæ degluriunt, illæ quæ ſtamen animæ vitæ „ præſcindunt, illæ quæ ſatanicum in nobis ex„ citant furorem. Carnis fuit illa tentatio quâ „ ſatan Chriſtum in deſerto fameſcentem op„ pugnauit: dum illi ait: *Dic vt lapides iſti panes „ fiant.* quia fuit tentatio ad gulam. Superbiæ „ tentauit dum ab illo poſtulat vt ſe deorſum & „ ad ima præcipitaret: *Mitte te deorſum.* Auaritiâ „ illum aggreſſus eſt illi proponens vt ſua om„ nia Regna mundi & gloriam eorum, ſi cadens illum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

illum adoraret: *Hæc omnia tibi dabo ſi cadens adoraueris me.* Hæc ita comprehendit D. Ioan. *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.* Quibus ergo hæc oppoſita ſuperabuntur? Tres legos ſpiritus deiectos & eiectos in SS. litteris. Spiritus Tobiæ felle poſito ſuper carbones ignis eiicitur. Spiritus Saülis cytharæ pulſu pellatur: & alius: *In ieiunio & oratione.* Sic etiam nonnulli contrarij vincuntur felle eleëmoſynæ in igne charitatis: alius expellitur ieiunio, alter cythara Dauidica id eſt oratione. Hæc tria Chriſtus ſuos docet Apoſtolos: *Sedete, vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* *Sedere quietem indicat,* & tranquillitatem: ita D. Remig. Quia ad euitandam tentationem, neceſſe eſt vt anima tranquilla ſit & pacata contenta iis quæ poſſidet, nec ſe in varia præcipitet. Præterea *ſedere* ſignificat ſe ſubducere. Te mundo ſuffurare, ſi nullo vis negotio vincere tentationes: etiam ſignificat contemplari: *Sedebam ſolus.* Vltimus indicat perſeuerantiam: *Si manſeritis in ſermone meo veritas liberabit vos.* Nec non, idem eſt ac ſeipſum humiliare. *Sede in puluere.* Nec eſt qui ſecurius victor redit ex tentatione quàm humilis. Tandem ſignat imperium, quod ſi potiaris illo ſuper paſſiones tuas, extra controuerſiam eſt, non ſuperaberis: *Vigilare* iuxta Orig. ſignificat: *Sollicitudinem habere,* cuſtodiam, promptitudinem & prudentiam: Qui ſemper ſtat ſuper ſui cuſtodiam, vincetur ille numquam.

Oratio eſt eleuatio mentis in Deum, & petitio quædam quam diuinæ proponimus maieſtati: his tribus certa nobis fit tutaque victoria. Oratione quidem vt ſatis liquidò patet in Ioſue, dum enim manus cum hoſte conſerit, & Moyſes in monte manus ſurſum attollit, victoriâ potitur, quas ſi dimittat, aduerſæ victus cedit. Et dum pars inferior paſſionem ſubigit, ſuperior ſe erigit ad Deum in gratia: nam quamdiu hæc conſtans perſeuerat de victoria nemo dubitabit, *Sedete, vigilate, & orate.* Tria nos ad peccandum impellunt: natura effrœnis, noſtrarum habitus potentiarum, & amplius occaſio, ſed ſuper omnia diabolus. Sedeamus: q. d. pacatos reddamus noſtros affectus: vigilemus vt tentationibus eripiamur, & oremus diuinum petentes auxilium contra diabolum, & ita ex omnibus victores euademus illuſtriſſimi.

Ceterum huic verbo parumper inhæreamus: *Mecum: ſuſtine te mecum.* q. d. noui vires veſtras eſſe nullas, ſed meis innixæ, dolores veſtri meis vniti, veſtræ vigiliæ, veſtræ orationes, meis ſuffultæ robur accipient quo veſtrum vincatis inimicum licet fortiſſimum. Et ſicut olim cadauer pueri illius defuncti, vnitum corpori viuo Eliſei vires, ſalutem reſumpſit & vitam: ita vniti cum Chriſto, quantumuis ex propriis noſtris viribus & virtute ſimus quaſi cadauera defunctorum, tamen ex vnione noſtra cum Chriſto, ita robuſti forteſque euademus vt illum vincere & ſupplantare valeamus. Diabolus rogauit vt tentaret vos, ita Chriſtus aſſerit ſuis Apoſtolis, obtinuit hoc à Deo: cui pro remedio præſcribo. *Suſtinete mecum.* Mihi vniti adhærete: ſicut enim contra me nihil efficere potuit, ſic nec aduerſus vos præualebit, ſi mecum vigiletis. Circa tria tentandi erant Apoſtoli: circa timorem, quo territi fugerent: circa fidem, videntes Chriſtum adeo inhumanè tractari: & circa negligentiam ad Deum recurrendi tot malis oppreſſi præſentibus. His omnibus Chriſtus proſpicit: Et ne timor eos in fugam compellat, præcipit eis *Sedete:* & ne timore concutiamini: *Suſtinete mecum,* quod eſt primum. Ne fortè indigna quæ perferam vobis auferant fidem & auctoritatem eius qui ſum: *Vigilate.* Et ne gladiis veſtris aut aliis plus iuſto confidatis, ſed Deo: *Orate:* Hi fuêre Apoſtolorum defectus, Timor quo perculſi fuerunt, Pauor quo ſtupefacti hæſerunt talia in Chriſto videntes, qualia viderunt, & languens in charitate tepeditas. Contra mobilitatem & timorem *Sedete & ſuſtinete.* Contra pauorem & ſtuporem: *Vigilate.* Contra frigus: *Orate.* Si ita feciſſent in tentationem non incidiſſent: ſed qui ſuſtinere & ſedere debuerant, fugerunt: & quibus erat vigilandum: inuenit eos dormientes: & præceptum orandi negligentes eum noſſe ſe negârunt & eiurârunt. Vt nobis adeo cœleſtia prælegat documenta hortum cum diſcipulis ſuis aſcendit, cum illis collocutus antequam inchoaret orationem: arma erant hæc quibus ſe armare debuerant, vt de tentatione contra inimicum poſſent redire victores.

§. 11. *Laxauit Chriſtus timori mortis ſua fræna quantum poſsibile fuit, quando illam ſibi in oratione proponebat: quia elegit eam pati eo modo, qui ſibi erat acerbior vt declarat* D. *Auguſtinus.*

29

CVm iam ſe Chriſtus paululum ab aliis diſcipulis cum tribus illis electis Apoſtolis ſeparaſſet exorſus eſt orationem ſuam, & tantus in eum irruit timor, pauor, tædium & triſtitia, vt illos ſtupore, & admiratione percelleret: *Cœpit contriſtari & mœſtus eſſe*, vel vt alius ait Euangeliſta: *Cœpit pauere & tædere.* Stupendum planè ſpectaculum, in quo cœli iucunditas & gaudium Angelorum in terra contriſtatur inter homines, vbi Dei fortitudo tremit inter peccatores; vbi ipſum robur metuit, virtus infirmatur, vita mortem reformidat. Et non ſolum metuit, ſed etiam huius timoris ſigna demonſtrat exteriora, qui tantus eſt, vt illum triſti declaret animi confeſſione: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Ex altera parte. Domine cum ſis vt es, verus Deus, qualiter in te locum habet triſtitia: nam illi ſubiacere proprium eſt creaturæ, quæ ſe miſeriis afflictam luget & neceſſitatibus; quia quamuis Dominus ſis, etiam homo es, & quia talis es, premere te poteſt neceſſitas, & affligere calamitas, & inuadere te triſtitia; tamen beatus es, & in hoc ſtatu nulla poteſt te torquere triſtitia: Præterea ſi ſemper moriendi oſtendiſti deſiderium & multò quidem ardentius, quàm quo ceruus ad fontem anhelat aquarum, illas ſitiens inquirens: ſi tibi nullus alius placeat appetitus, quàm obediendi Patri tuo, cuiuſque ſit præceptum, vt mortem patiaris, quomodo in hoc (quod ab æterno fuit ordinatum, & tu tantopere deſideraſti) nunc, quando eius imminet executio, tanto timore metuque percelleris? Si tuus tantus ſit amor, vt non ames niſi quòd generi humano eſt vtile, quomodo nunc, quando iam eſt in ianuis tantum humano generi commodũ quo nullum dari poteſt excellentius, hoc ita reformidas? Si tu tam expreſsè affectis tuis commendaueris fuerisque adhortatus ne mortem formidarent: *Nolite timere eos qui occidunt corpus*: quomodo nunc tantam incutit tibi formidinem?

I. Quomodo locũ habuit in Chriſto triſtitia.

*Matt.* 10. 28.

Si miremur Martyres tanto tripudiantes animo dum ad mortis tormenta rapiuntur; quomodo tu qui caput es omnium illorum quando proximam illam tibi cernis te præbes puſillanimem? Tres pueri in Babylone medios flammarum ignibus iniecti, quibus certo certius erant exurendi niſi Deus naturalem ignis actionem ſuſpendiſſet, adeo læti in eo verſabantur, vt conceptam corde lætitiam cohibere nequirent, ac proinde linguæ illam committerint vt eam foris educeret cantico illo diuinarum laudum adeo myſterioſo. Quis matrem illam conſideret, quæ ſeptem filiorum pignora vidit ipſa præſens, mortem perpeti tantoperè moleſtam: nam cum vnoquoque eorum mortem ſentiebat ipſa multò vehementius, quam qui eam patiebatur: & recogitans hanc pro diuinæ legis obſeruantia tolerari in acerbioribus ſingulorum cruciatibus gaudio læta exultabat vberiorie? Et poſt Chriſtum quid potuit crudele tyrannorum odium, & belluina perſecutorum immanitas, quod non ſuperauit inuictus Martyrum amor & non deficienda fortitudo? Carceres pertulêre, famem, ſitim, frigus, plagas vulnera verbera, plumbum, reſinam, ſagittas, gladios, pugiones, ignes, laminas ardentes & alia innumera genera martyriorum, quæ poſſemus enumerare: & illis eos nihil terrentibus inuicti perſtiterunt, & gaudiis excitati. Quot ſuſpenſi in equuleo, eorum carnibus ferreis pectinibus apertis, vel ad caudas alligati equorum diſcerpendi & dilacerandi, in illis ipſis cruciatibus ſuauiter Deo loquebantur? Quam efficaciter populo perſuadebant fidei veritatem pro qua ſanguinem vitamque profundebant, & audacter atque intrepidè tyrannos arguebant, vt illis nonnulli propriis dentibus ſibi linguam demorderint vt in eorum faciem euomerent, quos audire non poterant nomen Chriſti blaſphemantes. Nobiliſſimum erat ſpectaculum videre iuuenem, ætate floridum, formâ conſpicuum in mediis ignibus ipſos deridentem ſatellites, & quaſi balneum fuiſſet inter ipſos igneſcentes carbones velut inter florentes roſas obambulantem. Ex vna parte crucem ſpectabat in qua ſibi moriendum, ex altera tortorum taxabat ſocordiam, alij ferarum dentes in ſe prouocabant à quibus laniarentur, quas tardiores eſſe ad deuorandum, moleſtè patiebantur. Et in ipſo naturæ maximè infima,

nas, puellas intelligo teneriores, quàm iucundum gratumque fuit tantam ſpectare patiendi impatientiam, vt ipſos tyrannos non audita ſtupefaceret audacia & hilaritas, quâ ſe vltro tradebant occidendas, & matres filios adhortantes, & oculos clariùs aperientes vt tanto ſpectarent tormenta diſtinctiùs. Contueri nuptas velut ad thalamos properare ad mortem accipiendam: puellas intueri intrepidas collum offerentes recipiendo vulneri denudatum, & carnificem brachio ſublato ad feriendum cum dextera ictum libratura contremiſcat, ipſæ verò impauidæ feriendæ, tripudient: & dum timor cohibet carnificem, accuſent & reprehendant gladij ferrique tarditatem.

Qua igitur ratione ſi tuis in Martyribus tantum videamus & ſtupeamus pectoris robur animique alacritatem iam morti proximis: tu Domine dum illam proximam agnoſcis tot mœſtitiæ doloriſque ſignis eam timere te ſignificas? Communis hæc ea eſt doctrina, hoc Chriſtum ita feciſſe vt ſuſceptæ declararet veritatem humanitatis. Leonis natura mirabili conſtat compoſitione: in medio corpore, brachiis, capite & pectore prædominatur ſol, vnde tanta pollet fortitudine vt omnia ſibi ſubſternat. Porrò in altera media parte prædominatur terra, vnde tanta languet debilis infirmitate, vt gallum timeat, ſimiam & folia quercus. Hoc idem poſſemus in Chriſto conſiderare leone fortiſſimo de tribu Iuda. *Vicit leo de tribu Iuda*. Duabus conſtat naturis diuina & humana in vna perſona. Secundum diuinam tanta eſt eius fortitudo, tantaque potentia, vt Rex ſit & Dominus omnium creaturarum, omnia pedibus ſuis victor ſubiiciat. Secundum naturam humanam patitur, & ſe debilem oſtendit, meticuloſum & pauidum, atque vt hanc oſtendat naturam, timet dum mortem cernit ſibi imminentem. Et quamuis tanquam verus homo ſit beatus & qui talis eſt, pœnam non patiatur, nec poſſit aliquid illi metum incutere: nihilominus cum ſit beatus, eſt etiam viator vel peregrinus, atque vt talis mortem reformidat. Et ſi tanquam obediens Patri, & noſtram exoptans ſalutem, atque vt fortis in ſuſtinendorum colloſſia præceptorum, & cunctis ſuperior Martyribus, nihil vereatur: tamen ſi ſtatum in eo conſideres viatoris ſe cernens tribus tantum ex diſcipulis ſuis comitatum, mortemque ſibi repræſentans pœnas, opprobria & iniurias quas ſtatim eſſet paſſurus, qualiter ſanguinem ſuum eſſet effuſurus contremeſcit, oſſa illi colliduntur & à nimio pauore proſtratus ait: *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*.

Verè Chriſtus in quantum Deus non timuit, non expauit nec habuit paſsiones, vt probant contra Arium SS. Patres. Theodoret. *a* D. Cyril. Alexand. *b* & colligit D. Ambroſ. *c* ex eo quod ait: *Triſtis eſt anima mea*. Vbi notandum, quòd non dicat: *Ipſe, ſed anima eius*, Non ipſe ſecundum quod Deus, ſed ſecundum quod habet animam. D. Hilar. in multis locis ſuſtinet quòd Chriſtus numquam mortem timuerit: videtur enim tanto pectori timor non conuenire. Qua dicit igitur veritate Euangeliſta: *Cœpit pauere & tædere?* Reſpondet quod timeat non pro ſe, ſed pro Apoſtolis ſuis, & pro illis doleat, ratione ſcandali, quod præuidebat ipſos paſſuros, & eorum lapſui compatitur. Et hoc videtur ſignificare in illo: *Aſſumpto Petro & duobus filiis Zebedæi cœpit mœſtus eſſe*. Quocirca non illis dicit: *Triſtis eſt propter mortem*, ſed *vſque ad mortem*, Et addit D. Hilar. q. d. *Tranſeat à me calix iſte, tranſeat in iſtos*. Non te rogo Pater vt ego non moriar: ſed ſicut ego mortem hanc accepto ita voluntariè, ſic tranſeat in meos diſcipulos vt illam accepten, vt quid quod eos ædificet, & non præbeat anſam ſcandali. Idem confirmat D. Hieron, dicit enim. *Erubeſcant igitur, qui dicunt Saluatorem timuiſſe mortem*. q. d. Verum quidem eſt, quòd Chriſtus in horto timuerit, & expauerit, ſed abſit omnino quod propter mortem; dolet propter ſuorum ſcandalum, tædio afficitur ob Iudæ diſcipuli ſui crimen traditionis, luget ingratitudinem populi ſui, compatitur Hieruſalem iam deuaſtandæ & euertendæ. Cui etiam ſubſcripſit D. Ambroſ. atque; quòd Chriſtus timuerit, non timuit ratione vulnerum, tormentorum & mortis, ſed noſtra dolens defleuit peccata; *Non ſua vulnera, ſed noſtra ſcelera*.

Porro D. Auguſt. multis SS. contrarius aſſerit quod mortem timuerit, Timor paſsio eſt, quæ quando cauſam habet non dicit imperfectionem. Quatuor ſunt paſſiones animæ gaudium, triſtitia, ſpes & deſiderium. In Chriſto notamus gaudium: *Gaudeo propter vos*. deſiderium: *Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare &c*. Etiam triſtitiam: *Triſtis eſt anima mea*.

*a Dialog. quidicitur impoſſibilis.*
*b. Lib. 9. theſaur. c. 3.*
*c In Luca c. 10.*

IV. Aliqui dicunt Chriſtũ non timuiſſe. *Ita Can. 31. in Matt. & in pſ. 68. & l. 10. de Trint.*

D Hier. *In c. 26. Matt. Tom. 6.*

V. Cauſæ mœroris Chriſti.

D. Amb. *in Luc. Tom. 5.*

*Cont. Iulian & in pſ. 93.*

*Ioan. 11. 15.*

*Luc. 22. 15.*

De

*Matt. 26. 38.* *3. p. q. 15. a 4.* D. Aug. *l. 14. de Ciuit. c. a 4.* *Contr. Fauſt.* D. Damaſcen. *l. 30. c. 20.*

De ſpe verò multa ſunt dicenda, quibus modò non licet immorari. Circa has paſsiones notat D. Thom. quòd in Chriſto ſequebâtur rationis deliberationem. Et ita ait Euãgel. *Cœpit contriſtari &c.* Et idem eſt quod ſcribit D. Auguſt. *Hos motus cum voluit ſuſcepit animo humano ſicut cum voluit factus eſt homo.* Et alio loco videtur idem amplius declarare his verbis. *Sua infirmitas fuit ex poteſtate.* Cui conuenit D. Damaſcen: *Naturalia in Chriſto non præcedebant voluntatem: & iratus eſt, doluit, timuit, quando voluit:* Nam ſicut Chriſtus ſemper clarè Deum intuebatur, non tamen idcirco permiſit vt gloria tranſiret ad corpus, niſi quãdo voluit vt factum eſt in monte Thabor: ita ipſe ſemper mortis conſpexit acerbitatem, ſed non ſemper paſſus eſt vt timor ad appetitum deſcenderet ſenſitiuum, niſi in horto: quia vno verbo Dominus fuit ſuorum affectuum, illoſque non habuit, niſi quando quomodo, & quantum voluit; quod D. Ioan. confirmat: *Turbauit ſemetipſum* reſuſcitaturus à mortuis Lazarum. Ex quibus infertur declaratio D. Auguſtin. quòd Chriſtus timuerit: quia mortem voluit aſſumere ſibi maximè moleſtam: & liquet, quod dum illam reformidat, illa ſibi foret tanto moleſtior: mors enim ſecluſo timore pœnæ parum infert: imo potius refrigerium eſt vt aduertimus in Sanctis qui mirum in modum exultabant & præ gaudio geſtiebant ad eius aduentum ſic audio D. Paulum ſibi congratulantem: *Mihi mori lucrum.* Mortis Moleſtia & acerbitas timor eſt quem excitat: vnde Salomon ait: *O mors quàm amara eſt memoria tua!* Poterat quidem Chriſtus mortem aſſumere planam ab omnibus timoris accidentibus liberam, attamen noluit, ſed eam acceptauit prout ipſa venit, ſuis formidanda timoribus & accidentibus. Nullus vnquam vt Chriſtus ita mortem exhorruit: quia mors in tantum timetur, in quantum vitam adimit, & quantò vita illa charior eſt, tantò mors eſt terribilior, & pænam infligit dum venit, atrociorem. Permiſit Chriſtus animæ ſuæ ſanctiſſimæ vt vitam quantum poterat, diligeret: quia vita erat, quæ amari merebatur, cum eſſet infinitè bona, ſummopere vtilis, & virtute ſanctiſſima: habenas amori vitæ ſuæ ſoluit: quatenus pœna timorque illam perdendi foret acerbior. Summo vitam ſuam, & ea quæ vitæ erant, amore proſequebatur. Quanta

VI. Chriſtus verè mortis timuit

*Philipp. 1. 21.* *Eccli. 41.*

deprimeris anguſtia dum aliquid tibi aufertur, quod primo loco habebas? Quanto dolore Rex Ezechias proſtratus ingemuit, quando ſibi vitam intelligit auferendam eo tempore, quo diligebat illam ardentiùs? Vt autem tantus erat Chriſti erga vitam ſuam amor, ita etiam mortis timor erat adeo exceſſiuus, vt ipſe ſolus illam Chriſto inferre potuiſſet, ſi particulariter, & ſingulari quadam protectione ſuam non confortaſſet & fulciſſet humanitatem.

Augebatur pœna mœrorque Chriſti in oratione quam ad Patrem dirigebat: *Pater ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte,* eo quod illi petita non concedantur. Nulla grauior alicui accidere poteſt afflictio, quam non obtinere quod deſiderat; quantò feruentiùs aliquid exoptas, tantò conſecutus illud exultas alacriùs; & quantum eſt de adepto gaudium, tantum eſt de negato faſtidium. Tunc Chriſtus vitam ſuam ſummo diligebat amore, vnde tunc illam optauit ardentiùs. Hoc quod tantopere deſiderabat, petit Chriſtus ſibi concedi, ne auferatur, & hoc eſt quod nequaquam obtinet; pœnam attende qua tunc affligeretur. Patrem inuocat nec auditur, conſidera quantum dolor hic accreſceret. Quando quis ab hoſtibus ſuis impugnatur, vitæ illius inſidiantibus, feſtinus ad amici vel patris ſui accurrit ædes: nouit etenim ſibi in illis tutiſſimum fore refugium, atque ibidem à preſſura, quâ ſe dolet circumuentum, eripiendum. Accurrit, pulſat claùsum atque oſtium, & ſcit, quòd illum audiunt pulſantem, nec tamen illi reſpondent: perpende quanto hic cruciatu torqueretur: Hoc igitur in Chriſto velim attentè conſideres. Ecce quo furore rabidi illum adoriantur inimici, quam feſtinè ipſum in horto perquirant, vbi vacat orationi, vt vitam illi adimant; quam ille eo tunc amore proſequebatur, quo diligi poterat ardentiſſimo. Nouit, quòd in domo Patris ſui eiuſque protectione poſſet optimè ab inimicis ſuis liberari, ad illam igitur in oratione confugit, nec hoc ignorat quòd eum Pater orantem audiat & pulſantem, cui tamen non reſpondet. Quis modo triſtitiam eius verbis explicet, quâ non intromiſſus anxiaretur?

Ex altera parte ſe grauatum ſentit omnium noſtrum flagitiis, coram tremendo Patris ſui tribunali, atque in conſpectu eius, deinde perpendit quòd pro illis tantas oporteat eum

tolerare pœnas quantas ſibi propoſitas cernebat, debitaſque peccatis. Iam verò ſi cogitationem ſuam aliò velit divertere, non poteſt: quia iam actualiter de eorum agit cum Patre ſatisfactione. Quando quis præuidet grauem ſibi imminere calamitatem, pœnamque ſe ſubiturum intolerabilem, antequam eo deueniat, ne tanti mali memoria torqueatur, ab eo diuertit cogitationem, quo fit vt leuior multò ſit dolor ex imaginatione conceptus. Porro in Chriſto hoc locum non habuit: tantum adeo viuam habet cruciatuum ſuorum repræſentationem, tamque graui confunditur pudore ex peccatis noſtris ſibi impoſitis in tribunali Patris, vt in ipſo cruciatus ille præſentatus efficere potuerit quod ipſum opus: quocirca in tantas illum compulit anguſtias, vt ſanguinem ſudauerit adeo copioſum, vt guttatim in terram de corpore profluerit; de quo & aliis in oratione tranſactis ſuo loco ſuſius exaratum eſt.

*§ 12. In ea forma orationis, quam Chriſtus obtulit Patri, nulla fuit oppoſitio ſapientiæ quam intellectus illius habebat de ſuæ mortis infallibilitate, nec quoad affectus, quibus eam voluntas appetebat: ſed modum declarauit quo diabolum confudit circa diuinæ ſuæ perſonæ cognitionem.*

Verba ex quibus Saluator noſter ſuam compoſuit orationem tanti ſunt ponderis, tamque ſublimibus ſcatent ſacramentis, vt illa non ſint leuiter pertranſeunda, quamuis circa illa nonnulla declarauerimus. Exorſus eſt illam inuocando nomen Patris ſui doctrinam in ſeipſo perficiens, quam nobis præſcripſerat in Oratione Dominica, vt regulam normamque precandi: *Abba Pater ſi poſſibile eſt tranſeat à me calix iſte.* Grauem in hac petitione SS. Patres inueniunt difficultatem; quæ repugnare videtur intellectui, & voluntati Saluatoris. Quantum ad intellectum, nemo ſanè iſtud negauerit, quod ſi Chriſtus omnia ſciuerit: *Sciens quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit.* Nec eum latuerit decretum eſſe vt morte & quidem crucis moriatur: *Oportet exaltari filium hominis:* Ipſomet atteſtante: qua igitur veritate hoc in dubium vertit: *Si poſſibile eſt.* Præterea ſi voluntatem ſpectemus, nec hoc minus certum: quia ſi moriatur, quia ipſe vult: *Oblatus eſt quia ipſe voluit:* quomodo nunc mori recuſat, & rogat: *Tranſeat à me calix iſte?* Iam diximus: quod applanans has difficultates D. Hilar. *a* intelligit quòd tantum rogauerit per hæc verba, ne Apoſtoli in fide deficerent. D. Hieron. *b* interpretatur, quòd non rogauerit non mori, ſed ne à populo ſuo Iudæorum occideretur: D. Ambroſ. *c* & D. Auguſt. *d* explicant de modo quo diximus die Lunæ. D. Baſil. *e* quòd ſolum petierit ne daret Apoſtolis ſuis occaſionem ſcandali. D. Epiphan. quòd non poſtulet non mori, ſed tantum quod tanquam infirmus ſe gerat, quo diabolum poſſet illaqueare.

Porro certum eſt, nullum fuiſſe defectum in intellectu, quòdque non dixerit: *Si poſſibile eſt*, quaſi hoc ipſum ignoraret. Nec in voluntate: non enim dixit: *Transfer calicem iſtum à me:* ſeipſum à morte excuſans. Et ita capit D. Cyril. Hieroſo: *Neque inuitus moritur, neque ignarus: neque conſentaneum eſt*, triſtè D. Greg. Naz. *Illum ignoraſſe vtrum fieri, an non fieri poſſet, quod petebat.* Alias plures rationes profert D. Iuſtin. Martyr ex quibus exponit pſalm. 21. illud *Deum meum clamabo per diem & non exaudies, & nolle & non ad inſipientiam mihi* q. d. Orabo, & non exaudiar: imo talem ſtatuam in oratione mea conditionem, vt quaſi dubius loqui videar anſis exauditurus. Sed *Non ad inſipientiam mihi.* Non idcirco in me aliquis reprehendat ignorantiam. Vt autem hoc pateat euidentius, nota, quod D. Hieron. dicat, D. Marcum fuiſſe quaſi quendam compilatorem D. Matthæi, ita vt qui primi voluerit ſenſum intelligere ſcilicet. D. Matthæi. recurrat ad ſecundum nimirum, D. Marcum. Scribit D. Matth. *Pater ſi poſſibile eſt.* Nos autem dubitamus, vtrum illa particula *Si* ponatur ab eo vt dubium, an vt affirmatio: quia ſæpe in S. eloquio legitur vt affirmatiua: vt patet in Iſaia: *Niſi Domus multa deſerta fuerint.* Et in Eccleſiaſt. *Et ſi dormierint duo fouebuntur mutuo.* Si dubitare voluerit, vtrum poſſibile foret, vel ſi dicere voluerit: ſcio eſſe poſſibile; recurramus ad D. Marcum: quod enim D. Matth. ait: *Si poſſibile eſt.* ipſe ſcribit: *Omnia tibi poſſibilia ſunt.* Et ita patet nullum eſſe dubium, atque iuxta hoc, idem erit dicere: *Si poſſibile eſt transfer calicem iſtum:* ac, *quia hoc eſt poſſibile, oro vt fiat.* Quocirca illa *Si* idem eſt ac *quia.*

*Iſai. 53. 7.*
a *Can. 31. in Matt. & Pſ. 58. & l. 10. de Trenit.*
b *in c. 26. Matth.*
c *l. 10 in Luc.* d *Pſ. 21. & epiſt. 03. ad Prob.*
e *l. 4. ad Euno.*
D. Cyril. Hieroſ. *Catech.* 11.
D. Greg. Nazian *in orat. de filio.*
*In dialog. contra Triphon.*
Nullus fuit in intellectu Chriſti defectus.
*Prol. in Matth.*
*Iſai. 5. 9.*
*Eccl. 4. 11.*

33
a L. 10. de Trin. c. 11.
b L. 9. de Trinit.
c In c. 5. Joan.

Ad alterius dubij enodationem circa voluntatem, notandum, hic oculos, requiri lynceos quibus interiora Chriſti penetremus, & cognoſcamus quæ ſit voluntas cuiuſque verbi quod profert. D. Aug. *a* & D. Hilar. *b* & Theophilac. *c* & penè omnes SS. Patres agentes & diſputantes contra Arium affirmant, totum negotium intelligentiæ de perſona filij conſiſtere in bene diſtinguendo, quænam vox de illo profeat tanquam Deo, & quænam tanquam homine: quale deſiderium habuerit ſecundum naturam diuinam, & quale ſecundũ humanam. Atque ex hac quale fuerit ſecundum partem ſenſitiuam, & quale iuxta rationem. Quale conforme rationali; quale in perſona ſui veri corporis, & quale in perſona myſterij, quale ex natura ſingulari quam aſſumpſit, quale ex vniuerſali cuius cauſam agebat. Muſicam hic plurium audimus cantorum, & diuerſarum vocum atque inſtrumentorum: quis ſingulas proferat voces ignoramus, tantum illas audimus. Quàm aptam conſtant harmoniam humana diuinaque natura in Chriſto: quæ voces prodeunt ita compoſitæ ex eius potentiis. Liquidò conſtat multos hic eſſe muſicos, & cantores plures eſſe naturas: verumtamen diſtinguere ex qua natura, vel ex qua potentia ſit vnum quodque verbum, vix poſſumus cognoſcere. Domus quædam flagrat incendio, & inexſpectato percipitur ignis, omnes vno eodemque tempore vociferantur, & confuſè conclamant: ſatis patet eſſe multos qui voces ad aſtra tollunt, ſed quodnam ſit cuiuſque verbum nemo facilè dixerit, niſi qui frequenter cum populo fuerit conuerſatus. Proponitur Chriſto toleranda mors, videtur excitari in diuino ſuo pectore tremendum incendium. *Cœpit triſtari & mœſtus eſſe*. Omnes eius inhabitatores, omnes potentiæ, omnes voluntates, omnes appetitus, attollunt voces, & dicunt aliquid. Eſt qui dicat: *Transfer calicem*: qui clamet: *Tranſeat calix* qui vociferetur: *Non ſicut ego volo &c.* ſed quænam ſit huius vox vel illius, iudicium de hoc ferre difficile eſt.

II.
Sed nec in voluntate.

III.
Similitudo.

IV.
Tres diſtinctos appetitus

Ad huius explicationem noueris eſſe in homine tres appetitus, qui in ſe comprehendunt totum hoc quod alij continent. Primus eſt naturalis, qui non diſtinguitur ab ipſa natura, eſt velut accidens ſuperadditum, quod dicit Philoſophus eſſe naturam ipſam ad ſuam perfectionem inclinatam, ſicut materia inclinatur ad receptionem formæ, & lapis ad centrum. Hic appetitus ſingulis creaturis à creatore infunditur, vnde non ſequitur creaturæ cognitionem, ſed eius qui illum creauit. Quis lapidem ad centrum deorſum, & ignem inclinat mouetque ad altiora? Extra dubium eſt, quòd inclinatio quam illis creator infudit ad ſuum terminum, vt nulla requiratur in illis cognitio quæ præcedat: quia illam non habent niſi à creatore. Hoc appetitu deſiderant omnia eſſe ſuum naturale. Secundus eſt appetitus ſenſitiuus, qui eſt accidens ſuperadditum, & naſcitur ex rei cognitione: ſicut equus appetit hordeum, & hic appetitus naſcitur ex cognitione quam de eo habet. Tertius eſt rationalis homini proprius, quo quærit id quod ratio perſuadet, & fugit quod ratio condemnat. Vlterius ſuppone veritatem in conciliis determinatam contra multos hæreticos in Chriſto duas fuiſſe voluntates, de quibus agit Doctor Angelicus D. Tho. Et hic verificatum agnoſcimus quod dixit Chriſtus: *Non mea ſed tua fiat voluntas*. De diuina clarum eſt non eſſe *meam & tuam*: ſunt enim vna & eadem; ſi ponit igitur differentiam, duæ ſunt *tranſeat calix, & fiat voluntas tua*. Vt homo ait: *Tranſeat calix*, vt Deus *fiat voluntas tua*. Hæc eſt communis interpretatio D. Aug. *a* Orig. *b* & D. Ambr. *c* vt ſenſitiuus, & vera carne conſiſtens: *Tranſeat calix*; vt rationalis & ſpiritualis: *Fiat voluntas tua*. Ita hoc explicant D. Cyril. *d* & D. Bonau. *e* Conditionatè ſi non eſſet occaſio peccati: *Tranſeat calix*; abſolutè quandoquidem ſit: *Fiat voluntas tua*. Legatur D. Thom. *f* ipſe namque omnia tractat. Vt amarum: *Tranſeat calix*, vt remedium *Fiat voluntas tua*: tanquam mercis perditio: *Tranſeat calix* tanquam liberatio à naufragio: *Fiat voluntas tua*.

V.
Chriſtus ſi[illegible]

Expendit D. Clem. Alexand. *g* ad illa verba: *Tranſeat calix*: quòd Chriſtus mortem ſuam appellet calicem: quia ſicut calicem aſſolet ſitienter bibere ſitiens exoptat ita Chriſtus omne bonum noſtrum, mortem deſiderans affectuoſiſſimè. Hinc ſequitur, quòd non tantum illam exhorruit appetitu naturali & ſenſitiuo, quantum illam appetitu diligebat & optabat rationali. In hoc ſumma ſita agoniæ Chriſti; quia ex vna parte mortem ambibat, atque ex altera illam recuſabat, atque ita in huius medio contrarietatis bene-

clarante quantâ illum ſua paſſio torqueret agonia. Porro nonnulli SS. Patres appoſitè dicunt quòd per hoc illudere voluerit diabolo: & iiſdem paſſibus modiſque quibus primam noſtram irretiuit matrem, ac primæuum noſtrum patrem ſupplantâuit eundem irretire, & ſupplantare. Ipſe nec merus diabolus, nec merus ſerpens ſed diabolus in forma ſerpentis ſeduxit Euam, & euertit Adam, atque in ipſo omnes eius poſteros: ita ſimiliter & Chriſtus, nec purus Deus, nec purus homo, ſed deus abſconditus in forma hominis, eum ſupplantauit, & pudore confudit. Ideòque nonnulli SS. Patres dixerunt, quòd Chriſtus ſalus noſtra deſiderium oſtenderit, vt Pater illum à calicis ſui excuſaret epotatione.

*§. 13. In coniunctione familiæ miniſtrorum Pontificum & cohortis Imperatoris Romani ad capiendum Chriſtum, ordinauit Spiritus S. omnipotentia eius confeſsionem & redemptionis meritum, quod omnibus cederet in beneficium, Iudæis & gentilibus: quia vt dixit Apoſtolus, nulla futura erat inter Græcos Iudæoſque diſtinctio.*

CONcludit igitur Chriſtus orationem ſuam illis circumſtantiis, quæ huic interuenerunt, ſomni diſcipulorum, quòd non exauditus fuerit à Patre, quòd Angelum illi miſerit, quòd in terra genuflexerit, quòd facie humi proſtratus iacuerit, quòd præ agonia, timore, & verecundiâ ſanguinem ſudauerit, tandem reuerſus ad diſcipulos ſuos ſic eos alloquitur: Eia igitur, *Surgite eamus: ecce qui me tradet prope eſt.* Acceſſit Iudas exercitus illius dux & miniſtrorum Satanæ anteſignanus, qui duxerat illos donec Chriſtum inuenirent ab eis capiendum; *Iudas autem cum accepiſſet cohortem &c. venit cum laternis &c.* Adueniebat cum miniſtris & cohorte circumſtipatus. Notandum inter ipſos tria fuiſſe genera Rectorum: quidam erant Seniores, qui licet in diebus Moyſi multa vigerent auctoritate, nunc autem ea multû decreuerat, & parua vel nulla præfulgebant. Alij erant Pontifices qui de nouo tales fiebant & qui tales fuerant quamuis enim antiquitus per omnem vitâ eſſent Pontifices, porro nunc auaritia fecerat illos annuales, & ſtatus hic dabatur plura offerenti, eratque inſignis Iudæis ignominia tot habere Pontifices: quia in omnibus libris Moyſi non niſi vnus reperitur, & eſſe multos, abuſus fuit & error natus ex auaritia: vnde tametſi in concilio Eccleſiaſtico plures conuenirent Sacerdotes, vnicus tamen erat in eo præſes Pontifex: & ſicut ſcribit Ioſephus ex ambitione cœperunt Sacerdotes Principibus ſe ſubmittere ſæcularibus, per illos Pontificatum ambientes, atque in tantam delapſi ſunt miſeriæ calamitatem, vt ipſi Principes pariſe electionem pontificis inſtituerint, atque vt plures fierent & haberent ipſi quos eligerent pontificatum perpetuum effecerunt temporalem; imo annualem: nam annuatim eligebatur pontifex, & illa vice in vno eodemque anno, vt duobus fauerent, ambos elegerunt in pontifices, quo fiebat vt aliquando infra annum ambo ſuo munere fungerentur: & ita in paſſione Domini duo fuerunt, Annas & Caiphas. L. 18. antiquit. c. 4.

Erat hoc tribunal eccleſiaſticum, in quo tractabantur negotia Religionis, ſicut modo in tribunali Epiſcopi: ſed duæ requirebantur conditiones. Prima quòd quantum ad ſententiam, non poterant illam pronuntiare, ad mortem condemnando proceſſu inſtituto: quocirca dixerunt Pilato: *Nobis non licet interficere quenquam:* vel quia Eccleſia nô ſe immiſcet cauſæ ſanguinis: vel eo quod hanc illis auctoritatem Romani ademerant Imperatores. Secunda erat quantum ad populum: quamuis enim auctoritatem haberent ſufficientem capiendi in cauſa Religionis, attamen Romanus Senatus, eo quod illis plenè non fideret, non illis voluit concedere armorum vſum, vnde neceſſarium erat vt in grauioribus negotiis copias poſtularent auxiliares à curia Præſidis, vel brachio ſæculari. II. Duæ requiſitæ conditiones in tribunali Iudæorum eccleſiaſtico.

Erant & alij Gubernatores in ſtatu Seculari qui regimen moderabantur temporale. Quando Iudæa ſuperiorem non agnoſcebat, regebatur in temporalibus à proprio populo, qui Iudices erant, Reges vel duces: quando verò Romano ſubiacuit Imperio, Imperatores hoc ſibi attraxerunt populi regimen; & quamuis in principio nonnullos ſtatuerint Gubernatores cum titulo Regum, erant tamen tributarij, qualem Turca creat Algêr: tales erant Herodes & Archelaus, porro hoc eſt [illegible] alios illi-



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

regiminí ſubſtituere decreuerunt, non cum titulo Regis ſed Procuratoris ſiue Præſidis Romani, qui ad arbitrium regebant Imperatoris, ſicut modo Proreges aut gubernatores, atque tempore Tiberij Imperatoris ad hanc Iudææ præſidentiam elatus eſt Pontius Pilatus. Ad hunc ſpectabat ad arctam alicuius capturam quam Pontifices intendebant, ſuam illis concedere cohortem, vt illam eius præſidio muniti perficerent. Itaque capturam Chriſti Pontifices decreuerunt ſuoſque tradiderunt miniſtros quatenus per illos mandaretur executioni: & cum illi armis non præualerent nec brachio ſeculari, cohortem obtinuerunt armatam, quam illis integram Præſes conceſsit. Cohors conſtabat militibus mille ducentis & quinquaginta: quia centurias complectebatur quinquaginta, & quælibet centuria viginti quinque milites: quibus ſi miniſtros addas Pontificum, numerum excedent mille quingentorum. Itaque ad Chriſti capturam & ligaturam omnes conſpirant, & conueniunt omnes, Iudæi & Gentiles, de Hieruſalem & de Roma, Pontifices Caiphas & Annas, Præſes Pilatus, armati & inermes, miniſtri & cohors, arma, gladij, fuſtes & laternæ: & meritò, quia paſsio & mors Chriſti omnium ſaluti proficiebat. *Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci.*

III. Quid ſit cohors.

Quærunt nonnulli, quare familiæ Pontificum coniungere voluerint cohortem brachij ſecularis, quid opus erat tanta multitudine, vt hominem caperent vnicum, armiſque deſtitutum? Nonnulli reſpondent quod ſicut Pontifices reum non poterant morti adiudicare, nec ſimiliter ex Imperij prohibitione poterant capere in cauſa mortis ſine brachio ſæculari. Alij arbitrantur eos hoc feciſſe, ne contra ſe tantum omnem iram populi prouocarent, & occaſionem darent qua cuncti iuſtas contra illum deponerent querimonias, volentes oſtendere, non ſolos eſſe Pontifices & Phariſæos qui Chriſti capturam intenderent, illique proceſſum formarent, ſed quod etiam Romani conſpirarent. Alij id dicunt egiſſe quia ſibi timebant ne forte quis ſeditioſus exurgeret de populo, eoſque tanquam ſeditioſos accuſaret, quocirca vt ab hoc ſe periculo liberarent Romanorum comites habere copias voluerunt. Alij proferunt, quòd populum timerent, quem ſciebant Chriſto ſupra modum ad-

IV. Cur tãta turba ad Chriſtum capiendũ.

dictum: & hoc apertè inſinuant euangeliſtæ, dicendo: *Timebant verò plebem.* Ego verò decretum in hoc veneror Dei ſingulare quo, hæc captura tanto fieret apparatu, contra vnicum hominem pauperem & ſimplicem, vt ipſi quid agerent, ignorarent & hac ſua actione Chriſti faterentur omnipotentiam, atque iudicarent in Chriſto præter communem hominis naturam aliam eſſe formidabilem; quandoquidem immotus ipſe ſolus tot armatis militum copijs quæ duo millia & ſexcentos excedebant, timorem incuteret; vnde videbatur illis omnis hæc præparatio neceſſaria quâ Chriſtum apprehenderent: licet ita ſolum, vt comitatum tantum adduceret vndecim virorum, pauperum ſame languentium, & diſcalceatorum: quid enim hoc erat niſi fateri quod in ſolo illo viro talem agnoſcerent poteſtatem, vt niſi exercitu ſtipati adeo copioſo, ſe ſecuros ad eius capturam non arbitrarentur.

Super omnem hanc multitudinem & exercitum militum atque apparitorum ad Chriſtum capiendum imperabat Iudas factus eorum dux generalis, & totam hanc cohortem turbamque miniſtrorum ipſe dirigebat, quem omnes ſequebantur præcedentem. A Pontificibus miniſtros acceperat, atque à Præſide cohortem: vt autem ſinguli huic communicarent ſacrilegio, ſinguli ſanguinis communicant effuſioni, & omnes aduerſum corpus illud Diuinum furorem ſuum explicant acerbiſſimum: ipſe verò moriens ſuam teſtatur miſericordiam omnibus factus beneficus. Verumtamen licet Iudas tantâ militum cingatur caterua, formidat, atque illis: *Tenete eum & ducite caute.* Nulla hic committatur negligentia, prudenter & fortiter manus illi injiciantur, cauete vobis ab illo, tantoque illum capite iudicio & induſtria, vt manus veſtras fugiens non deludat. O linguam ſacrilegam, vt etiam vel inuitus non poſsis non eius fateri potentiam & ſapientiam. Non hoc vos lateat, quod idcirco tanta procedat populi multitudo, eo quòd omnium requiratur opera ad illum detinendum & capiendum; quia tanta pollet poteſtate vt me teſte oculis ventis imperet, & quieſcant, & mari minetur tempeſtuoſo, & continuo grauiſsimam inducat malaciam. *Tenete eum:* Iſtiſdem his oculis vidi illum diabolos increpantem, qui timore pe-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

territi de corporibus aufugiebant. Sola verbi ſui virtute vidi ego educentem eum de ſepulchro mortuos etiam quatriduanos: educentem Angelos & eoſdem illi ad obſequium properantes, cohibentem ſatellites qui iniicere manus illi feſtinebant. Fatere nequiſsime traditor velis nolis eius potentiam: *Ducite caute*: & ſimiliter peruerſe nebulo, infinitam eius agnoſce ſapientiam. Notum ſit vobis hoc, ait eum eſſe ſapientiſsimum, quem vidi abſtruſas reuelantem cogitationes, cumque die quodam eum lapidibus obruere, & altero deorſum præcipitare conarentur, huius facinoris auctores ſic obcæcauit, vt modum ignorarent, quo rectam poſſent viam carpere: non enim tales illi parantur laquei ex quibus ſe ſapientia ſua non poſsit extricare. Vidi ego die quodam dum illi mulierem offerunt adulteram, tentaturi verum hac viâ eum poſſent in aliquo carpere, quod tali modo ſua ſe ſapientia præmunierit, vt vnus poſt alterum, qui ream adduxerant, confuſi diſceſſerint, ipſe veró manſerit immunis, vt in illam legis pœnam exercere nequiuerint. *Ducite caute*. Timebat Iudas ne forte manibus eorum elaberetur, vt alias viderat eum de manibus capere volentium ſe eripientem: vnde tantam illis iniunxit curam, quâ probè eum cuſtodirent. Opinantur Venerab Beda & D. Hieronymus Iudam nunquam in Chriſtum credidiſſe, imo prodidiſſe quó l eſſet Necromanticus, & hac necromantiæ arte vſus, omnes deluſos irrideret.

Accedunt igitur ad locũ vbi Dominus erat præ grandi armorum & laternarum ſtrepitu: *Cum gladijs & fuſtibus* inquit. D. Matthæus, vel ſicut ait D. Marcus *Cum gladijs & lignis*: vel cum D. Ioanne: *Cum laternis, facibus, & armis*: & omnes conueniunt: quia vt diximus, miniſtri Pontificum portabant fuſtes & ligna: quia arma non ferebant: etenim hæc illis ferre erat illicitum. Cohors autem aderat, *Cum gladijs & armis*: & omnes habebant faces & lucernas, quia nox erat: ſolus autem proditor Iudas nec arma ferebat nec laternas: quia cum pacis indicio procedebat, nam illos præmonuerat illum ſe illis in pacis oſculo traditurum, quod ad eum accederet vt eis illum quis eſſet intimaret. Porrò arma ferebat ceteris nequiora, nam arma erant auaritiæ & cupiditatis, quæ cuncta perſtringunt: nam ita notauit hoc D. Marcus omnem fuiſſe hanc Iudæ ſolicitudinem, vt caperent eum & prudenter (a) cuſtodirent, quia Pharisæi pecuniam illi venditionis non ſoluerant ſed ſolummodo ſoluendam ſpoponderant. *Et pacti ſunt pecuniam illi dare* tali conditione vt eum illis traderet, quod ſi non traderet, non erat quod aliquid ab illis recipere ſperaret, & inde orta eius eſt tanta ſolicitudo, tantaque diligentia, ne promiſſæ pecuniæ iacturam auarus pateretur. Crudelitate pariter & furore contra Dominũ armatus procedebat: his armis armatus occurrit inermi, ferox benigno, manſueto truculentus, & agno lupus *Facibus* & *laternis* circumuallatur, quia luce opus erat illi qui ſub Principe militabat tenebrarum, & bene conuenit illi lumen laternæ, qui lucem ſolis non poterat ſuſtinere. *Erat autem nox*; & hanc quoque circumſtantiam notauit D. Ioannes: *Erat autem nox*: vt oſtenderet quas tenebras perfidus ille diſcipulus in anima ſua pateretur: quia vt aliàs diximus, temporis circumſtantiæ quas indicant Euangeliſtæ ſæpe ſignificant id quod intus in anima geritur. Eia igitur animæ, non ſit inter vos quiſquam Iudas, vt illum cum Iuda prodat tradatque inimicis. Optimè nouimus vbinam ſit Dominus, in paupertate, in ſacramentis, in pœnitentia, non eo properemus, non illis vtamur vt eum tradamus. Heu Domine mi, quantum me tui miſeret quod te videam ab illis traditum, ſed multò amplius mihi condoleo, quód toties te vendiderim, te proditor tradiderim! Heu me miſerum qui toties auctorem vitæ ſacrilegus tradiderim!

(a) a bon recaudo.

Marc. 14.

*§. 14. Oſculo ſalutat Iudas Dominum, atque illi: Aue: quia in hoc verbo principium accepit hominum cum Deo reconciliatio. Et ita principio noſtræ redemptionis finis correſpondet, tametſi modis diuerſis.*

NE forte milites vel miniſtri aberrarent in perſona qui Dominum erant capturi, hoc illis dederat Iudas capiendi ſignum, oſculum ſcilicet pacis. *Dederat autem traditor eis ſignum dicens: Quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt & accedens dixit: Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum.* Nequiſſima fuit illa in abſentia Chriſti Iudæ peruerſitas, & non toleranda nequitia

quâ

quâ Chriſti mortem ab eo diſſitus machinabatur: verumtamen quód adeò vicinus faciei illi Diuinæ, coram diuinis illis oculis ſalutatus ab ore illo ſuauiſſimo, benigniſſimis illis conſtrictus brachijs, vlterius progrediatur, atque in ſuo contumax perſeueret ſcelere proditionis, omnes admirantur. O quam efficacem habet effectum obſtinata reſolutio, inuiſcerata cupiditas, truculentus animus, mensque diabolica! O peruicaciam! Videre Chriſtum per te

I. Iudæ peruicacia.

traditum, & non te pœnitentem! Illum ſentire, & nequaquam formidare? Salutare illum, & te non turbari, oſculari illum & te non confundi? In quam cadere poterant animam tam enormia ſcelera, niſi in illam, quam ingreſſus erat diabolus? Sed notandum quód de omnibus his, quæ peracta hic ſunt per Iudam, vnum ſolum efficax fuerit ad Petri conuerſionem, qui cum eum iam negaſſet, & tertiò abiuraſſet, nec illi tamen occurriſſet, non ab eo ſalutatus fuiſſet, non accepiſſet amplexum, non oſculum, ſed ad oculorum ſolum contuitum quo Dominus illum aſpexit, *Fleuit amare.* Sed ſolis radius qui ceram emollit, lutum indurat, & lux quæ cryſtallum illuminat, marmor obtenebrat. Verùm ſi Chriſtum attendamus, ſi Iudam; quis vnquam vidit quidquam benignius, quidquam atrocius? Quidquam clementius, & quidquam ſceleſtius? Quidquam ſanctius, & quidquam peruerſius? Quidquam magis Diuinum, & quidquam magis diabolicum? Et quidem ſimul? Obſtupenda planè correſpondentia. Iudas accedit, & Chriſtus pedem figit: Iudas offert oſculum, & Chriſtus illud acceptat: Iudas ſalutat, & Chriſtus illi ſe proſternit: Iudas loquitur, & Chriſtus reſpondet: Iudas ait: *Rabbi*: & Chriſtus loquitur: *Amice:* Iudas ait: *Aue.* Chriſtus autem: *Ad quid veniſti?* Et tandem nihil inuenies ex parte Iudæ, cui non aliquid Chriſtus ex parte ſua reſpondeat: verum cum tanta oppoſitione vt quantò Iudæ peruicacior creſcit impietas, tantò clementior creſcat Chriſti pietas: & quantò patentiùs Chriſti monſtratur amor, tanto Iudæ pertinax odiũ lucidius innoteſcit.

II. Cur Iudas ſignũ dederit.

Iudicauit Iudas expedire vt traderet illis ſignum perſonæ diſtinctiuum: *Dederat autem traditoreis ſignum*, &c. primò: quia cum plures adeſſent milites potiſſimum ex gentilibus qui Chriſtum ex facie non nouerant, & maximè cum nox eſſet, & ſuis eſſet permixtus, neceſſarium fuit illum quis eſſet deſignare. Hæret Origenes & multum miratur cur neceſſarium fuerit dare ſignum ex quo Chriſtus ab alijs dignoſceretur, cum ab omnibus eſſet probè cognitus: quia non ſolum de fama illius dicitur apud D. Matthæum: *Exiuit fama eius in omnem regionem*: ſed quantum ad eius præſentiam refertur quod *Circuibat omnes ciuitates & vicos.* Imo hoc ipſum confirmat Chriſti reſponſum, quandoquidem illis ait. *Quotidie vobiſcum ſedebam docens in Templo*, &c. & alterum; *Ego ſemper docui in Synagoga.* Origenes cuiuſdam meminit traditionis, quam aſſerit ad ſua vſque tempora perſeuerare: quod ſicut Manna deſerti hanc habebat virtutem, quod ſe iuxta ſingulorum mutaret appetitum, quem ſibi concipiebant: ita Dominus noſter quo tempore vixit nobiſcum ſemper ſuum mutabat aſpectum illis conformem qui magis vel minus digni erant, eumque intuebantur. Nec mihi, inquit Origenes hoc videtur incredibile quia ſi potentiam ſpectes ſe transformandi, hanc apertè ſatis oſtendit in monte Thabor: & quod hoc fecerit hinc inferri poteſt: quia ſemper eadem ſe formâ ſpectandum obtuliſſet, probè illum agnouiſſent ipſi: nam ſibi loquentem non cognouerunt: etenim reſponderunt ei, quod *Ieſum quærerent Nazarenum.* Quod ſi hoc ita ſit, Iudas vt prudentior ſignum hoc illis daturum indicauit: & credere poſſumus Iudæ perſpectum fuiſſe transfigurationis myſterium: nam quod Chriſtus dixit Apoſtolis: *Nemini dixeritis viſionem*, intelligitur: non dixeritis *per modum prædicationis.* Iudas igitur ſciens quód ſe Chriſtus poſſet transfigurare, ac transfiguratio oculos eorum obcæcaret, dederat eis ſignum: alias rationes profert D. Hieronymus, & alij graues auctores. Fuit autem temeraria *Iudæ* præſumptio eius dare ſignum, ad quem ſpectabat ipſum dare, quo cognoſceretur. Gedeon à Deo ſignum poſtulat: *Da mihi ſignum quod tu ſis qui loqueris ad me.* Et per Iſaiam declaratur à Deo ſignum eſſe poſtulandum, quia ſolus ipſe poteſt illud aſſignare. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo.* Deinde quod homines ad quos ſpectat ſigna recipere illa dent, & quidem ad cognoſcendum Deum, tam audax eſt illa præſumptio, vt quis non poſſit imaginari grauiorem. Hæc in Iuda reprehenditur: ſigna à quo erant data, ſatius multo fuiſſet vt data videret ipſe ſigna, & à quo data eſſent

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

eſſet, vt illa ipſe recognoſceret & per illa totam hanc prouocaret turbam vt fidelis Chriſtum adoraret.

Innumera erant ſigna quæ Prophetæ præmiſerunt ex quibus venturus Meſſias agnoſceretur. Quando Meſſias veniet, hoc erit ſignum, quod deſcendet ex familia Dauid. *Egredietur virga de radice Ieſſe & flos de radice eius aſcendet.* Quando veniet, de Virgine naſcetur. *Ecce virgo concipiet & pariet.* Quando naſcetur, Bethleem locus erit ei natiuitatis. Verus Meſſias efficiet, vt in ortu ſuo noua fulgeat ſtella: *Orietur ſtella,* &c. Præſepis eius cunas adorabunt Reges: *Omnes de Saba venient, Reges Tharſis,* &c. Recens natus & infantulus migrabit in Ægyptum: *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Habebit antecurſorem: *Vox clamantis in deſerto parate viam Domini.* Seruient illi Angeli: *Angelis ſuis mandauit de te.* Collegium adſcribet ſibi Apoſtolorum: *Ecce ego & pueri mei.* Nouam promulgabit legem: *feriam fœdus nouum.* Miracula patrabit infinita: *Tunc aperientur oculi cæcorum,* &c. Loquetur in parabolis: *Aperiam in parabolis os meum.* Sedebit ſuper aſinam & pullum: *Ecce Rex tuus venit tibi, aſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ.* Dono plenus erit prophetiæ: *Prophetam ſuſcitabit Dominus,* &c. Contra ſe concilium patietur Principum: *Adſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.* O quanta ſigna! O te, Iuda, infelicem, exclamo cum D. Hieron. quanto tibi ſalubrius fuiſſet cum D. Matthæo ſi per hæc omnia ſigna procuraſſes, vt tu, itaque hæc multitudo militum eum adoraſſetis, quàm pacis oſculo eum tradere conuenandum. Quàm mira diuerſitas, nato Chriſto ſignum datur: *Hoc vobis ſignum.* Chriſto moriente datur ſignum: *Dederat ſignum*: ſed quando naſcitur ſignum dant Angeli: quando verò moritur ſignum dant homines: quando naſcitur, multi Angeli: quando moritur, vnus ſolum homo: quando naſcitur Angeli ſancti, quando moritur vnus homo proditor. Quando naſcitur ſignum datur paſtoribus; ſed militibus quando moritur; quando naſcitur ſignum datur abiectionis & humilitatis: *Inuenietis infantem pannis inuolutum & poſitum in præſepio*; quando moritur ſignum datur dilectionis & amoris: *Quemcumque oſculatus fuero ipſe eſt.* Ad indicandum natiuitatem eius ab Angelis fuiſſe adminiſtratam, mortem ab hominibus; & natiuitatem, quæ glorioſa videbatur, non eſſe aliud quàm profundiſſimam humilitatem, atque ideo: *Inuenietis infantem poſitum in præſepio*: & mortem quæ videbatur infamis, non eſſe aliud niſi ſupremam nominis eius exaltationem: atque ideo: *Quemcumque oſculatus fuero.* O magnam nimis differentiam inter Dei bonitatem hominumque malitiam! Deus ſtatuit ſignum in homine, nempe Cain, ne forſan occidatur, homo verò ſigno notat Deum, Chriſtum intelligo, vt certò capiatur & occidatur. Et ſicut vbi ſignum proponitur, omnes eo verſos ictus diriguntur, ita in Chriſto Iudas proponit ſignum, vt in eum omnes qui conuenerant impetus ſuos collimarent. In mentem tibi veniat ſignum ſanguinis quo poſtes tingebantur oſtiorum, quatenus vbi tale videretur ſignum, ſanguis non effunderetur: verum hic ſanguinis datur ſignum vt effundatur. Signum Raab purpureum appenſum ad feneſtram fuit, Domine mi, tui ſanguinis ſignum, & ſignum Ionæ demerſi mortis tuæ, & ſerpentis Ænei tuæ crucifixionis, vt ipſe verificaſti: ſed hæc & cetera omnia ſimilia ſigna dicere licet fuiſſe tantum ſpeculatiua: quia nullum alium habuerunt effectum, quàm mortis tuæ ſignificationem; Iudæ proditoris oſculum ſignum fuit practicum, quia ſignificauit ſimul & operatum eſt, vel ſaltem fuit mortis tuæ cooperatiuum.

Dicito mihi an alicui mortem infligere poſſit tam benigni ſignum affectus, quale eſt pacis oſculum? porro de homine adeo peruerſo, qualem Iudam credimus, credi poteſt: quia videmus in illo omnia inuerſa quæ boni ſunt ordinis: vnde non ſolum ſignum dat, ſed etiam in oſculo, quod eſſe debebat amoris, non proditionis ſignum. Cur illud magis quàm aliud elegit? Reſpondet Origenes id eum ex reuerentiâ, qua Chriſtum proſequebatur elegiſſe: & ita noluit pro ſigno dare percuſſionem, vulneris inflictionem, manus ſuæ iniectionem: imo, Venerab. etiam Beda ſic ſentit: *Retinens adhuc aliquid verecundiæ*, noluit ſignum dare ſanguinolentum, non violentum, ſed pacificum, amoriſque indicatiuum. Porrò ſi de Iuda ſermo ſit, audire me videor; quòd vel micam virtutis, verecundiæ, & modeſtiæ habuerit: vnde dico quod et, ar- 37

VI. Signo vitæ mors infligitur.

VII. Cur Iudas oſculum in ſignum elegit.

" ardenti deſiderio quo Chriſti capturam in-
" tendebat, ſignum elegerit, ſibi perſuadens,
" quòd oſculum inter alia ſigna minorem poſſet
" mouere ſuſpicionem: quia minus timetur
malum, vbi res cum pacis tractatur indicijs,
" quàm vbi adhibetur violentia. Inſuper vt
" dicunt multi Doctores pro more habebat
" Dominus Apoſtolos quando reuertebantur
" oſculo ſancto excipere: quocirca iudicauit
" proditor hic ſignum hoc tempore ordinarium
" ex vna parte nullam poſſe Chriſto mali
" alicuius imminentis formare ſuſpicionem,
" atque ex altera ſufficiens erat, quo perfectam
" de Chriſto notitiam daret apparitoribus.
" Quamuis autem hæc ita ſint, non omittit
" Spiritus S. ex rebus adeo peruerſis alias elicere
" multò perfectiores; & ita ſenit Origenes
" voluiſſe Spiritum S. vt Chriſtus ſigno tradere-
VIII. " tur ita pacifico, quantenus intelligeremus
Hæreti- " quòd veri Iudæ, qui ſunt hæretici, blandiori-
corum " bus oſculis, id eſt ſub ſpecie bonitatis & rerum
oſculum. " Diuinarum tradunt myſticum Chriſti corpus
" ſcilicet Eccleſiam. O proditoria oſcula! lo-
" quitur hæreticus: certus ſum quidquid S.
" dicit Scriptura eſſe verbum Dei, quam tanti
" facio vt ab ea nec ad latum quidem vnguem
" velim recedere. Hoc eſt illud oſculum: &
" deinde ſubiungit, nihil aliud præter ipſam
" credo, nec Eccleſiæ definitiones circa eius
" intelligentiam, nec traditiones Eccleſiaſticas
" admitto. Hæc eſt proditio.

" Pretioſus eſt Chriſti ſanguis atque ex eo
" nobis omne profluit bonum: hoc eſt oſculum:
" verum ſi tanti ſit meriti ac dignitatis, vt quid
" ſacrificia requiruntur? Hæc eſt proditio. Sine
" Dei gratia nec mouere me poſſum nec ſaluare,
" ab illa mea mihi venit ſaluatio: hoc eſt oſcu-
" lum. Vt quid ergo in hac partem habeat
" liberum meum arbitrium? Hæc eſt proditio.
" O fides ſanctiſſima, quàm nobis es neceſſaria!
" ſine te placere Deo eſt impoſſibile, hoc eſt
" oſculum. Ad quid ergo neceſſaria ſunt noſtra
" bona opera? Hæc eſt proditio. Illi ſunt qui
" ſemper dulcia præferunt ore verba, quibus cor
" iniquis ſcatet fætetque cum Iuda deſiderijs.
" Quid autem miramur, ſi Pater ille ſit Hære-
" ticorum. Dicamus etiam quod decreuerit
" Spiritus S. Chriſti traditionem oſculo im-
IX. " plendam, vt myſterium exponeret mundi cum
Oſculum " Deo reconciliationis. Quando agitur de
deſignat " verbi Incarnatione, vox oſculi capitur vt

conuenientiſſima, quæ, explicante Orige-
mirabiliter declarat myſterium Incarnatio-
vt autem finis huius myſterij (nempe recon-
ciliationis mundi cum Deo, quandoquidem
eo fine carnem aſſumpſerit humanam) prin-
cipio reſponderet, ſtatuit vt per oſculum
declaretur, vt patet in reconciliatione Pro-
digi, & alijs. Præterea manifeſtatur etiam
vnio Iudæorum & gentilium, vt D. Aug. ob-
ruit, quæ omnia morte Chriſti erant perfi-
cienda; vnde vt illa ordinaretur, ratio ſuadebat
vt oſculum pacis interueniret. Oſculum per-
uerſum & ſacrilegum, ſic D. Cyrillus: Cum
enim hoc ſit ſignum amoris primarium, illo
Iudas nunc vtitur in ſignum odij quo
mundus grauius & atrocius nullum exhor-
ruit. Hoc armatus accedit ſalutatque Salua-
torem.

*Aue Rabbi.* O fallax lingua! O mendax
os! Vitam ab eo poſtulas, & pro eius vita
deprecaris, cuius mortem machinaris. Quo-
cum magiſtrum appellas, cui recuſas ſubeſſe
diſcipulus? Et quod peius eſt illam aſſumis
latro formam ſalutationis, quæ ex ore primo
prodiit Angelico: nam primâ vice dictam eam
audiuimus Virgini cælis ipſis puriori, quæ
fuit integræ ſalutis mundi principium. *Aue*
nobile verbum. Non inuenimus in S. Literis
vſurpatam hanc fuiſſe ſalutationem, antequam
Virgo Virginum primiceria meruit ea ſalutari.
A Nehemia ſalutatus fuit Rex Artaxerxes:
*Rex in æternum viue.* Salutatur Abſalon: *Salue*
*Rex.* Dictum fuit Ruth: *benedicat tibi Dominus.*
Audit Tobias: *gaudium ſit tibi ſemper:* verum-
tamen primum in nouo Teſtamento vox hæc
auditur *Aue*, idque in myſterio verbi Incarna-
tionis: quia ſola Maria erat: *Aue, ſine Væ.*
Quàm infauſta mutatio, ex ore Angeli tran-
fertur ad os proditoris, de ore Gabrielis ad
os Iudæ. Deinde illam vſurpârunt Satellites
quando in adoratione irriſoria acclamabant
illi: *Aue Rex Iudæorum.* Verbum hoc non
niſi tertiò prolatum inuenio: Matri dictum
eſt *Aue:* Filio, *Aue:* Semel matri, & bis filio,
*Aue*, vt Chriſtus naſcatur: *Aue* vt capiatur: *Aue*
vt occidatur. Rationi conueniebat vt tertiò
audiretur *Aue*, quod tria tolleret *Væ*, naturæ,
culpæ & ſupplicij. *Aue* Domine in naſcendo:
tu etenim noſtræ naturæ *Væ* abſtuliſti. *Aue*
Domine in coronatione: noſtras etenim
pœnas tu ſuſtuliſti. *Aue* in captura: nam *Væ*
cul-

culpæ te dele, te ilico dirumpunt tui laquei peccatorum. *Aue Rabbi*, inquit Iudas id eſt ſit Chriſto ſine væ. Quid igitur fiet de illo *Væ* quod à Chriſto tollitur? Dabit hoc ipſe proditori ſuo, dicetque *Væ homini illi per quem tradar ego. Aue Rabbi.* O te traditorem qui ſub ſalute ruinam abſcondis, *Salue mi frater*, dixit Ioab Amaſæ, quando *percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram*: atque ad illud proditionis ſcelus vſus eſt verbo hoc & ſalutationes & quando Iudas traditurus eſt Chriſtum vt illi mortem infligeret, eum ſalutat, nefarium ſuæ traditionis flagitium ſub illa ſimiliter ſalutatione fraudulentus abſcondens. *Aue Rabbi*, Magiſtrum illum agnominat, vocabulo Chriſto proprio: *Magiſter veſter vnus eſt Chriſtus* ait ipſe Dominus apud D. Matthæum: ipſe etenim eſt de quo prædixit Iſaias: *Docebit nos vias ſuas.* In quantum Deus, magiſter eſt qui docet homines & Angelos, de cuius luce ad omnes lux dimanat intellectus. *Inſuper* in quantum homo, venit enim hominem doctutus vltimum finem, veraque media illum aſſequendi. Quocirca apud D. Ioan. ſic Apoſtolis loquitur; *Vos vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis: ſum etenim:* quinimo ſe ipſe in hoc nomine compellat: *Ite in ciuitatem ad quemdam & dicite: Magiſter dicit, tempus meum prope eſt*, &c.

Porro videamus quare Iudas, cum audiuiſſet: *Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & bene dicitis*: non dixerit: *Aue Domine?* Hæc duo nomina, Magiſter & Dominus pertinent, primum ad veritatem, & ſecundum ad potentiam. Chriſto quo tempore hic viuit, magis propriè conueniebat nomen veritatis quam potentiæ; quamuis enim hæc duo compleuerit, doctrinâ docens veritatem, & miraculis ſuis oſtendens potentiam; nihilominus ex his duobus principale fuit docere veritatem (non agimus modo de redemptione) *Ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Alterum quod eſt operari miracula, non propter ſe fecit hoc, ſed in ordine ad doctrinam: *Hæc facta ſunt vt credatis*: vt probaret quam docebat, veritatem. Non eſt autem cur tantam Iudæ adſcribamus virtutem, quod hoc de Domino confiteri voluerit; malignitati eius adſcribendum eſt quod vſus fuit hoc nomine, & omnes qui peruerſo Chriſtum animo conuenerunt illum tentaturi, hunc titulum præmiſerunt *Magiſter, ſcimus, quia verax es* dixerunt illi qui comites Herodianis illum acceſſerunt capere volentes laqueo tributi Cæſaris. *Magiſter volumus à te ſignum videre*, ſic illi qui ſignum inſigne tam ſiniſtra requiſierunt intentione. Alius etiam qui fictè rogabat eum vt illi declararet quod eſſet præceptũ magnum in lege, hunc illi titulum attribuit; *Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege?* Sadducæi illi qui futuram negârunt reſurrectionem, vt ſuam celarent ficto corde traditionem, quâ armati hoc illi dubium obijciebant, illum etiam magiſtri nomine honorârunt. *Magiſter, Moyſes ſcripſit*, &c. & ratio eſt, quia malitioſus adulator titulis ſolet vti dignioribus captandæ beneuolentiæ gratiâ: ſi quando verò vteretur aliquo, qui qualitatem eius excederet cui loquitur, abſit vt amorem ſibi conciliaret, imo potius ad odium incitaret, aut ſaltem non tanta fides illi adhiberetur. Quòd aliquis propter dignitatem Epiſcopalem, quâ fungor immeritus, me Dominum vocet, tranſeat: verumtamen ſi maiori non fulgeam dignitate, me verò titulo & reuerentia honoret Illuſtriſſimis debita Cardinalibus eccleſiæ Principibus, clarum eſt quòd illud ægrè perferrem: etenim tales me debent offendere adulationes. Cum aduerterent Iudæi Chriſtum adeo pauperem, ſibi perſuaſerunt exceſſum committi, ſi Chriſtum Dominum vocarent, & apertam eſſe adulationem, vnde hoc titulo eum non honorabant, ſed Magiſtri nomen illi deferebant, & hoc Iudas fecit: *Aue Rabbi.* Vel etiam dicamus eum noluiſſe vti hoc nomine, *Domine*, quod potentiam infert, quam ipſe illam in Chriſto ſupra modum debebat formidare, atque ne ad memoriã reuocaret illud quod ipſe tantopere timebat, titulum non dat illi nomenque *Domine*, & ita ipſa lingua fugit illud quod exhorreſcit.

39 Accedit ad Chriſtum, fictéque pacis præbet oſculum, tantummodo vt verbo ſignum impleret quod comitibus dederat. *Et oſculatus eſt eum.* Nedum locutus eſt, nedum ficta protulit verba & duplicia, ſed progreditur vlteriùs, & *oſculatus eſt eum.* O tartaream audaciam! O temeritatem infernalem! Non præſumpſit Magdalena niſi pedes oſculari

Margin notes: 1. Reg. 20. — Matth. 23. Iſai. — Ioan. 13. Matth. 21. — II. Cur non dixerit Domine. — Ioan. 18. — XII. Qua fide Chriſtũ — accedebant eum magiſtrũ vocabãt Matth. 22. 16 — Matt. 12. 38. — Matth. 22. 36. — Luc. 20. 28. — XIII. Oſculũ Iudæ expenditur.

mulieres illæ ſanctæ, quando reſuſcitatum
L. Contra Marcio. videtunt & cognouerunt, inter quas, ex opi-
nione Tertulliani, vxor erat Proregis, tantum
pedes eius oſculatæ ſunt. *Oſculantur pedes*
Luc. 24. *Domini.* Et Apoſtoli poſt aſcenſum Chriſti in
cælum, *Adorantes veneſſi ſunt*: non enim
L. 1 hiſto. ſacra. niſi eum adorare præſumpſerint: & ait V.
Beda hanc adorationem fuiſſe oſculando
veſtigia, quæ Dominus impreſſa reliquerat,
quæ referente Seuero Sulpitio, impreſſa vide-
bantur in lapide montis Oliueti. D. Ioan
Baptiſta indignum ſe iudicabat qui Chriſti
pedes oſcularetur, imo & qui corrigiam ſolue-
ret calceamentorum: *Cuius non ſum dignus*
*corrigiam calceamentorum ſoluere.* Illi qui facul
tates ſuas bonaque tradebant Apoſtolis vt
Ioan. 1. 17 Chriſti ſcholæ adſcriberentur, tam profunda
ſpectabiles erant humilitate, vt ſicut in actibus
legimus Apoſtolorum, & explicat Tertullia-
nus, indignos ſe arbitrarentur qui ipſorum
manibus illa traderent, ſed ad eorum pedes
proſternebant. Stephanus cuſtos carceris ſe
pedibus Pauli & Silæ proſternebat. Centurio
Act. 17. Cornelius D. Petri pedes amplectebatur.
Clemens Romanus in Epiſtola ad Iacobum
Act. 10. fratrem Domini, ſcribit quod ſe coram Petri
pedibus proſterneret. Et poſtmodum D. Petri
ceterorumque ſucceſſorum eius & Chriſti
vicariorum non audemus manus exoſculari,
ſed tantum pedes, inquit Pontifex Innocentius.
Hoc eſt quod ita ponderarunt D. Ambroſius,
L. . Myſt. a D. Aug. *b* & D. Proſper. *c* & prædixit Iſaias:
miſſ. c. 5. 7 *Et venient curui ad te filij eorum qui humiliaue-*
*runt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum* Nos
hoc vt ſummum aſſequimur ſi liceat nobis
a Epiſt. ad Marcell. vicarij Chriſti pedibus oſculum infigere: tu
verò proditor cælo terraque indigne quid
b De vnitate Eccleſ. c. 7. tibi præſumis ipſam Chriſti Domini faciem
accedere? O te ſcurram impiiſſimum! Saltem,
vt quid oſculando Domini illius verbi vim non
c De promiſſ. pa. 3. prom. 33 ſenſiſti, qui ſolo verbo ſuo ventorum ſedat
tempeſtates, & ſigno tantum ſimplici mortuos
Iſai. 60. 14. reſuſcitat? Feliciſſima eſt illa reſpiratio ſeu
halitus, qui in mundi primordio vitam dare
potuit, & poſtmodum Apoſtolis Spiritus S.
eodem halitu dedit virtutem ſapientiam,
vires & fortitudinem ad trahendum totum
mundum vel ſaltem eiuſdem potentiſſimos ad
Euangelicæ legis obedientiam. Verum tu
nefandiſſime proditor eundem halitum aſſi-
mis & reſpirationem, quaſi folles quibus ignis

cupiditatis tuæ vehementius accendatur, & tamen fac quod incepiſti maledicte. Reliqua bella à diſcordia ſumunt principium & in pace terminantur: tu verò præpoſterè, ſed in bello tu finem impones, quandoquidem cum pace incipias, quod tale futurum eſt, quo tu premetur conſcientia, vt *fugias nemine perſequente*: & ſicut in prælio ſanguinolento multi ſeipſos interficiunt, ne in manus incidant alienas: tu te ipſum occides, & inſuper in manus incides carnificum infernalium.

§ 15. *Vt certius milites Chriſtum agnoſcerent, ipſe prodit obuiam illis capere quærentibus, & voce illa:* Ego ſum, *omnes proſternit in terram, ſicut Samſon Philiſthæos mandibula, & armigero ſuo Ionathas.*

INterpretor ego quod Iudas ſignum dederus militibus quo Chriſtum omne bonum noſtrum caperent, aliquantulum illos præcedens ad Chriſtum acceſſerit, pacíſque oſculum obtulerit, & Dominus quamuis iamiam noſſet perfidam Iudæ traditionem, ſumma tamen reſponderit ei benignitate: *Ieſus autem reſpondens dixit: Amice ad quid veniſti?* Duos cum D. Chryſ. fontes inuenimus: vnum in medio ciuitatis, alium inter aſperrimas rupes magno primus currit commodo, quia ſeruit omnibus; vnus ex illo bibit, alter in illo ſe lauat, hic capit refrigerium, ille aquam haurit familiæ neceſſariam, alter potum ſuis præbet animalibus. Fons alius nemini ſeruit, nec hominibus nec iumentis, nihilominus non omittit aquarum gurgites effundere, eadem qua primus abundantia, acſi ne vel guttula fruſtra deſideret. Sol radios ſuos ad ea quæ ſeminata ſunt emittit, ſed pariter ad montes inutiles & eadem diligentia ac ſplendore quo ad campos maximè frugiferos. Semen et ſi bonum licet in terram cadat, vbi poſſit producere fructum, etiam cadit ſecus viam. O ſemen lucidiſſime, ſol ô ſplendidiſſime, & ô ſemen vtiliſſimum! *Semen eſt verbum Dei*: ipſe ſol eſt, ipſe fons, in omnibus cordium terris ſeminat, in omnes animas ad inertia vſque ſua emittat radios: ſed illos illuminat, qui lumen eius accipiunt. O quàm perennis fons eſt

Chri-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chriſtus Dominus noſter. *Si quis ſitit, veniat ad me & bibat.*

Multi his aquis ſibi profuerunt, & multi nequaquam, non tamen idcirco deſiſtit aquas tanta profundere vbertate, vt quamuis multi illas bibere deſiderent, nemini tamen deficiat. Imaginari non poſſumus montem ſterilio- rem, nec terram infœcundiorem, quàm cor inpium ſacrilegi diſcipuli & Iudæ traditoris. Optimè nouerat Chriſtus quòd in corde illo diabolico nullum effectum ſortiretur verbum ſuum, in quo peruicacia contumax tam altas egerat radices: nihilominus illi iacitur ſemen: ille ſol eſt, qui ſuos vibrat radios: fons eſt qui ſuas effundit aquas: nam poſtquam mille tentaſſet modis infauſtum hunc ad pœniten- tiam permouere Apoſtolum: nunc illi pedes lauando, nunc illi corpus ſuum in cibum porrigendo, nunc illi tentatum indicando pro- ditionis ſcelus: nunc minis illum terrendo tandem vltimum hunc modum aggreditur: quinque illi motiua proponendo, quorum, vnumquodque, niſi Iudas fuiſſet, ſufficeret vt diuinam illi patefaceret bonitatem. Pri- mum quod oſculum accipiat. Secundum, quòd eum amicum appellet. Tertium, quòd amicè percontetur: *ad quid veniſti?* Quartum, quòd eum proprio compellet nomine: & tandem quod oſtendat omnia ſibi eſſe manifeſta, dicens *ad quid veniſti? Iuda, oſculo filium hominis tradis?* Attamen propter horum nihil ſuam mutauit Iudas intentionem, nec à capiendo magiſtro ſuo deſtitit obſtinatiſſimus. Forte miſeri comites adfuerunt, ſermonem quem cum Iuda habuit audierunt, cumque ſibi perſuaderent ſe iam præ manibus habere occaſionem quam quærebant, eò recta ſeſtinabant vbi Chriſtus morabatur: verum illos Chriſtus in itinere præuenit, obuiam eis pro- ceſſit, eoſque interrogat *Quem quæritis?* Quis hoc non miretur? quod Dominus primus illis occurrat & quidem capiendus. O vim amoris erga homines ardentiſſimi, qui ad ea illum impellit! Vt autem nox illis non eſſet ob- ſtaculo, quo minus eum agnoſcerent, ordinat vt faces adferant & lucernas. Et ne forte in tenebris ſpecie decipiantur quem laternæ mani- feſtabant, prior illos alloquitur. Et ne dolum aliquem in actu ipſo ſuſpicentur quærentes eum, Iudas illos comitatur, qui probè illum agnoſcebat, eoſque ad eum deducit, ipſe loquitur, ipſe ſalutat vt eum agnoſcant, & pacis oſculo quis ſit illis indicat, ne forte ipſis perſona Chriſti tranſpareat. Et nihilominus non illum agnoſcunt, nec vnquam agnoſce- rent ſi ipſe ſe non manifeſtaret, quamuis Iudas illum eis oſtenderet. Ad propoſitam ſibi in- terrogationem reſpondent: *Ieſum Nazarenum. Dixit eis Ieſus: ego ſum. Vt ergo dixit eis: ego ſum: abierunt retrorſum & ceciderunt in terram,* ti- more mortui. Facinus miremur inſigne: non opus eſt illi gladium educere, vibrare lan- ceam, nec alia mouere arma vt illos timore percellat, totumque illum exercitum agat retrorſum, terrefaciat, atque in terram vſque proſternat. O potentiam Diuini verbi planè cæleſtem. O milites bellicoſi ait D. Aug. vbinam veſtra modo potentia? Vbinam ſu- perbia & Romani nominis arrogantia? Ad quid tantus armorum ſtrepitus, fragorque gladiorum quibus armati eum capturi pro- peraſtis, ſi ad vnicum verbum eius tremore metuque proſternamini? Cuſtodia quâ Chri- ſtus ſeruatur incolumis, vox eius eſt Diuina, illaque ſufficit exercitus deijcere numeroſiſſi- mos, ſuperare fuſtes, gladios, ligna, arma, laternas, faces, milites, miniſtros, & vni- co verbo integram illam cohortem animo armiſque terribilem: & ecce ad vnicam oris apertionem, *Ceciderunt in terram,* mortuos eos dixeris. 41

Egregium ſanè fuit hoc ſtratagema Samſo- nis. Proponunt Philiſthæi copioſum aduerſus eum conflare exercitum, & quamuis, dum eum tentant impugnare, ligatum inueniant, ſu- mantque animos quaſi iam prædam auribus arriperent, irruit tamen ſuper eum Spiritus Domini: *Et ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta:* & ſiquidem inermem ſe noſſet, caſu tamen reperit aſini mandibulam. *Inuen- tamque maxillam aſini, id eſt mandibulam, quæ iacebat, arripiens interfecit in ea mille viros.* De Ionatha legimus Reg. quòd ſolo ſociatus armigero in turmam vigilum irruerit Phili- ſtinorum, & modico tempore tantam tamque mirabilem ediderit ſtragem, vt *Acciderit quaſi miraculum à Deo:* nam ad quamlibet ſe verteret partem, nihil aliud eius obijciebatur aſpectui, quam *Multitudo proſtrata, & huc illucque diffu- giens.* L. 2. Reg. eius mentio fit, *qui octingentos interfecit impetu vno.* Et in L. Iudicum hiſtoria nar-

IV. Aliorum ducum facinora egregia narratur. Iud. 15. 14

1. Reg. 14. 15.

2. Reg 23. 8.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

narratur de Sangar, qui nullis alijs ſociatis ſibi turmis, ſed ſolus, nullis alijs armis niſi vomere, *Percuſſit de Philiſthijm ſexcentos viros vomere*: ſtratagemata ſunt hæc quæ ſic omnem humanam excedunt potentiam, vt re ipſa poteſt intelligi: verum hæc omnia facta fuerunt non propria virtute; ſed præſens hoc Chriſti propriè adſcribitur eius potentiæ qui non lancea, non ferro, ſed voce ſimplici non turbam Philiſtinorum, ſed integram cohortem prætoriam ex militibus conſtantem Romanis & veteranis, perterruit, egit retrorſum, & proſtrauit. Quænam ſunt his viribus aliæ conferendæ? Quæ victoria hac glorioſior? Vt antequam manus inijciantur, cedant inimici. O Chriſte Saluator, *Leo de tribu Iuda*, qui vnico verbo integram armatamque ſolo proſternis legionem, vnico verbo tantam militum cateruam timore metuque percellis! Vos autem ô milites, ſic cum D. Aug. Leo Papa, dicite, vbi veſtræ ſit conſpiratio crudelitatis? Vbi ſtrepitus armorum & tumultus? Vbi laternarum apparatus? Vbi Romani nominis timenda ferocitas? Vbi veterum militum inuicta ſuperbia? Vbi militiæ hactenus ſeruata diſciplina? Vbi belli perpetuum exercitium? Vah aues nocturnas! vt vnico ſplendore ſeu radio ſolis, quo vos illuſtrat, eo modo tenebris obuoluat & caligine. Hoc inter inſigniora celebratur Chriſti miracula, quòd vnico verbo tantæ multitudinis furorem comprimat, ita ad capturam inhiantem, ita minarum & cædis ſpirantem, Grande prodigium.

*Iud. 3. 31.*

V. Quos tamen omnes Chriſtus precedit.

*Tract. 112 in Ioan. Ser. 1. de Paſſio.*

VI. Iuliani Apoſtatæ blaſphemia retunditur.

Iulianus Imperator Apoſtata inter alias blaſphemias, quas cum Porphyrio & Celſo obijciebat hæc paſſim audiebatur, qua ſubſannabat Apoſtolos, quòd ad vnicum ſimplexque verbum Chriſtum ſequerentur, hominem ſibi incognitum & rebus omnibus inopem, quodque ſic ab omni recta delirarent ratione, vt ad eius ſimplicem vocationem omnibus quæ poſſidebant, renuntiarent, eiuſque ſequelæ tanta licet incommoditate, paupertate, & deſpectu conſtantes inhærerent. Audit illas D. Hieronymus, illiſque reſpondet, cuius reſponſioni D. Greg. Nazianſ. & Orig. ſubſcribunt, dicendo, verbum Chriſti non fuiſſe noſtro ſimile: noſtrum etenim vim non habet humanam mouendi voluntatem eius qui immediatè illud intelligit: vnde vt verbis noſtris ea quæ volumus, per ſuadeamus, medijs, rationibus, perſuaſionibus, vtimur & ſ[illegible] mentis. Verùm Chriſti verbum Diuinitati[illegible] ſecum trahebat fortitudinem, quâ mirabili[illegible] operabatur in animabus in quibus ipſi placebat, ea omnia quæ diuino ſuo ſedebant beneplacito. *Ignitum eloquium tuum vehementer*, ita canit Pſalmiſta Regius: & notauit D. Ambro. præclaram rationem ob quam Dei verbum valde appoſitè comparetur igni: quia ſicut hic, habet hoc, vt vbi tangit, operetur & moueat ad quod vult, ſcilicet ad odium peccatorum, amorem virtutum, & ſalutem impertiat vnico *Sequere me*, Eduxit Matthæum de telonio & cambijs ac recambijs ſuis. Sibi ſit verbi Chriſti efficacia, quid mirum [illegible] illo audito reliquerint Apoſtoli quidquid proprium poſſidebant, vt Chriſti ſequelæ [illegible] darent eique adhærerent! Solo illo verbo, *Ego ſum*, quod modo dixit, ad vſque cordis intima penetrauit militum illorum ac miniſtrorum, tantoque illos ſtupore perculit, vt ſe mortuos arbitrarentur, & quaſi [illegible] in terram retrorſum corruerunt. Sicut illo verbo *Sequere me* tam ardentem infudit cordi D. Matthæi amorem, vt cum totus pecuniis eſſet immerſus, lucroque addictus, omnia hæc negligat, erexerit & remittat, omni [illegible] eorum cura, quo ſubmitteret ſe Chriſti diſciplinæ. Stupete miraculum.

*Contra Iulia. Contra Celſum.*

D. Hieronymus explicans illud Chriſti facinus, de templo mercatores expellentis: *Eiecit vendentes & ementes*, &c. ſic ait, *Mihi inter omnia ſigna quæ fecit Dominus, hoc videtur eſſe mirabilius, quod vnus homo & illo tempore contemptibilis, potuerit ad vnius flagelli verbera tam eijcere multitudinem*. Huic ſubſcribit Origenes: *Hoc eſt maius miraculum eo, quo aqua conuerſa eſt in vinum: eo quod illic inanimata ſubſiſtit materia, hic verò tot millium hominum domantur ingenia.* Et ſi veritati locum demus, quantum ad Origenis explicationem, præclarius, longè fuit miraculum eiectio mercatorum de templo, quàm aquæ in vinum non audita conuerſio. Et ſicut opinatur D. Hiero, cetera omnia vſque in illud tempus à Chriſto facta ſuperauit: quia præclariſſimum ex ijs quæ Chriſtus fecit, meò quidem iudicio fuit hoc de quo ſermocinamur. Quare profero rationes à quibus miraculum illud commendatur vendentium & ementium eiectio Primò: à perſonis qua eliminat. Secundò

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ab eo qui tales exturbat, Tertiò: ab inſtrumento quo de templo abigit ſacrilegos quod non niſi flagellum fuit de nonnullis contortum funiculis. Quartò ab effectu ſecuto. Quia qui illos eiecit, Chriſtus erat homo pauper, ciui, eiecti verò multi & potentes, medium erat flagellum, & effectus, fuga vel timor in illis vehementior, quo turbati fugam inierunt, vt nec vnus alteri locum cederet, ſed euadere ſatagerent quam poterant velociſſimè.

II. Quādo magis terribilis. Porrò quando Chriſtus fuit magis contemptibilis? An quando populus eum & infinita multitudo ſequebatur, vel quando erat in horto paucis aſſociatus, à Principibus condemnatus, ab Apoſtolo venditus inter armatos medius inimicos? Qui maiori timerent ratione: homines armis inexperti, vendendi tantum & emendi ſtudijs occupati, vel Romana cohors veteranis inſtructa militibus, armatis & ad capturæ facinus ordinatis? Quid magis timorem incutit: flagellum quod malum quoddam pœnamque infert, vel vnicum verbum, non terrificum ſed blandum quo ſe ipſum indicat: *Ego ſum*? Et tandem quis maior effectus, fugere illum cognoſcentes, vel tanto timore & ſtupore percelli, vt

I. Similitudo. eum non agnoſcant, & quantum ad vires, nedum langueant infirmi, ſed quaſi mortui, & ſenſu omni metuque deſtituti in terram collabantur. O miraculorum miraculum! ô ſtratagematum ſtratagema præclariſsimum! O diuini verbi vim efficaciſsimam: *Ego ſum*, quo tantum operatur prodigium! Aliquando de nube tonitru prodiens in tantum perterret, vt nullo miſſo fulgure vel ignis ſcientilla decidente, corruat alter ſenſuum impos & exanimis: ſimiliter ad ænei tormenti fragorem, licet glandem non explodat ferream, ſola charta & puluere tremore concutiuntur circumſtantes: ita Chriſtus vnico *Ego ſum* totam hanc cohortem tanto proſternit timore, vt omnes elumbi corruant & quaſi mortui collabantur.

§. 16. *Deiecit milites in terram: metus quem de Chriſto perceperunt: proceſsit hic ex lucis radijs de oculis eius diuinis elucentibus, & efficacia verbi* Ego ſum, *licet ſumma prolati ſuauitate.*

INquirunt Doctores an fuerint aliqui radij ex oculis Chriſti, vel ſonitus verborum eius, vel totum ſimul quod tanto concuſſit totam hanc tremore multitudinem, vt *abierint retrorſum & ceciderint in terram.* Opinio eſt D. Hieron. quod radij oculorum Chriſti tanto metu proſtrauerint pectora miniſtrorum. Mouet ipſe quæſtionem, qua ratione conueniat illud pſalterij *Speciosus forma præ filijs hominum:* cum illo Iſaiæ: *Non erat ei ſpecies neque decor?* Et reſpondet in Iſaia tractari de qualitate vultus Chriſti per accidens, hoc eſt quando fœdabatur ſputis, ſanguine, puluere & alijs opprobris quæ in paſsione ſua tolerauit; porro in Pſalmo loquitur de vultu eius eo modo quo communiter apparebat: atque ita dicitur tota veritate: *Speciosus forma præ filijs hominum:* quia non tantum (inquit D. Hieronymus) formoſus erat vt Deus, ſed etiam vt homo. *Virgo & natus de Virgine*, formâ vultus elegantior illis omnibus *qui ex voluntate viri nati ſunt, qui poſſunt dicere: in peccatis concepit me mater mea.* Duas continet facies formas ſeu ſpecies, vnam ſtabilem & permanentem: aliam mobilem & ſubiectam alterationi. Pulchritudo permanens non eſt niſi proportio quædam debita tractibus ſeu delinea mentis vel coloris vel faciei: ſed mobilis ea eſt quam dicimus gratiam: ſicut dum aliquis in oculis vel lingua gratioſus eſt & feſtiuus & quædam eſt proportio motuum quibus partes potiſsimum autem oculi ſe mouent. Et hæc ſecunda ea eſt quæ trahit affabiliter, vel concutit terribiliter: *Allicit, aut terret.* Hæc illa eſt quæ mouet, vnde dicimus: faciem mihi oſtendit beneuolam.

I. Quid milites proſtrauerit.

Epiſt. ad Princip.

Pſ. 44. 3.

Iſai. 53. 2.

II. Duę ſunt facies, formæ.

Et abſque dubio mirabilis illa eſſe debuit in Saluatore, cum enim procedat ex anima, tantò eſt elegantior, quantò eſt anima formoſior. Moyſes ex gratia quam in vultu ſuo ex Diuino contraxit alloquio, qualem ipſe produxit faciem? Facies eius videbatur cornuta populus quam ſuſtinere non potuit. Quis ergo ſplen-

Exod. 34. 29.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſplendor, qui radij qui fuerunt ſoles oculi Redemptoris; cum eſſet *plenus gratia & veritatis!* Scribit Nicephorus, cum Rex Edeſſe Abagarus pictori mandaſſet primario vt Chriſti prototypon ſeu Imaginem ſibi deferret ad viuum depictam, numquam potuit hic oculos defigere in Chriſtum vt cum exprimeret inter tantam radiorum eminentiam, vt neceſſe fuerit ipſe Chriſtus faciem ſuam velo imprimeret quam impreſſam, Regi miſit inſpiciendam. O lumen diuinum, liquidò conſtat tali vultui lumen conuenire. Notamus & aliud miraculum, quod ſicut ſe poterat ſpectandum præbere glorioſum, vt viatorem cui placebat, alijſqui ſe abſcondere: ita temperare poterat & moderari vultus ſui ſplendorem, vt quibuſdam homo videretur eſſe vulgaris, alios ſuauiter blandeque attraheret, & alios metu proſterneret: *alios alliceret, & alios terreret.* Et in transfiguratione, quando facies eius ſolis inſtar fulgida apparuit, ſine tanti ſplendoris obſtaculo illum intuebantur, Apoſtoli: & hodie quando vultus eius Iudam totamque concutit legionem, Petrus, Ioannes, & Iacobus nulla trepidant formidine. Huic reſpondet illa traditio ex Orig. de transformatione Chriſti: erat etenim ita Dominus rerum ſuarum atque ſui ipſius vt extendens faciei ſuæ ſplendorem, facere poſſet vt quibuſdam amabilis & alijs videretur eſſe formidabilis. In templo contra vendentes & ementes exardeſcens, ita terribilis apparuit, vt quantum credo D. Hier. *Igneum quoddam atque ſidereum radiaret ex oculis eius, & luceret maieſtas in facie eius,* ita ſimiliter factum legimus in Angelo ſedente ſuper ſepulchrum; cum enim facies eius luce clariùs micaret, eo tamen modo ſe habuit, vt *exterriti ſint cuſtodes, & facti ſint velut mortui;* nec tamen pias terrefecit mulieres Chriſtum quærentes quando illas alloquebatur. Ita militibus hodie contingit: etenim experiuntur quod vnicus radius oculorum Chriſti poſſit efficere. O miſeris miſeriores, ite nunc ferte faces & laternas quæ luceant: maiorem etenim lucem inuenietis ea quam quæritis, nam lux ſplendidior de oculis prodit Saluatoris quàm poſſitis ipſi ſuſtinere: hæ ſunt illæ ſtellæ, hi ſoles, qui ſiquidem ad os illuminant replentque gaudio, vos tamen proſternunt metuque exanimant. Conueniens vobis hoc eſt dignumque ſupplicium; quandoquidem facibus & laternis ſolem iniquitatis illum obfuſcaturi: etenim vos ipſi propria eius luce obcæcamini & in terram conuicti proſternimini.

*Ioan. 1. 14.*

*L. 2. Hiſtor Eccleſ. c. 7*

III. Chriſti imago qualiter expreſſa fuerit.

*Tract. 35. in Ioan.*

*D. Hier. in c. 21. Matt. To. 6.*

*Matt. 28. 4.*

Veruntamen quamuis hoc ita ſit, vt certum [illegible] tamen habeo militum timorem maiori ex parte ortum fuiſſe ex voce & verbo Saluatoris altiſſimo: *Ego ſum.* Sicut in ſepulchro non ſolum Angeli conſpectus illos perterruit ſed etiam ſtrepitus terræ motus: & Apoſtoli in transfiguratione non ceciderunt in terram ex conſpectu faciei Chriſti vel ſolis multo lucidiſſimæ, ſed etiam ex auditu de cælo vocis: *Hic eſt filius meus dilectus.* &c. nam audita Patris voce, ſacro loquente teſtimonio, ceciderunt in terram metu perculſi. *Et audientes diſcipuli ceciderunt in faciem ſuam.* Et oportet mercatores in templo non ſolo aſpectu Chriſti fuiſſe ſtupefactos, ſed etiam illa voce terrifica illis præcipientis: *Auferte iſta hinc* &c. cum vox eſſet indignationis & imperij, & verbum ex zelo prolatum (nam ita fuiſſe declarat Euangeliſta ex Propheta: *Zelus domus tuæ comedit me*) nam zelo motus honoris domus Patris ſui quemdam in ſe prouocauit furorem qui coëgit illum in hæc verba prorumpere; *Auferte iſta hinc.* Clarè patet quantò fuerit eminentius hodiernum hoc miraculum, vbi ſi vox quidem perterret, vt realiter perterruit, vox tamen non eſt indignationis, nec prolata ex quadam commotione, ſed ſimplex & benigniſſimè, ipſam manifeſtans & tam humanè prolata at quiſque poteſt intelligere: *Ego ſum:* & nihilominus timorem incutit & perterret. In voce Chriſti latet diuinitas: nam ſicut ferrum vi ignis accenſum comburit, quæcumque tangit, ita vox Chriſti ex coniuncta ſibi diuinitate, quemlibet proſternit ex ſententia D. Cyrilli Alex. quia humanitas inſtrumentum eſt diuinitati coniunctum. *Sermo eius erat igneus,* ita D. Ambroſius vnde ſequebatur iuxta D. Gregorium quod ſola vox vim inferret dolentibus atque per hanc vim, vt credo D. Hil. turbæ in ſummam rapiebantur admirationem. *Mirabantur turbæ quod loqueretur tamquam poteſtatem habens.* Appoſitè loquitur D. Auguſtinus. *Vna vox turbam odijs ferocem armiſque terribilem ſine telo vllo percuſſit, repulit, ſtrauit: Deus enim latebat in carne.* Ecce quantus vis ſit vocis imperium, quo cohibere poſſit integri furorem exercitus: *Ego ſum.*

Vti non poterat voce ponderis grauioris: *Ego ſum.* Quando Moyſi præcipit, Deus, vt nomine ſuo pergat ad Pharaônem dicatque illi: dimitte populum meum, replicat ille: Domine ſi interrogauerint me, quis te miſit huc, quid dicam? *Si dixerint mihi, quod eſt nomen eius, quid dicam?* Cui Deus: reſpondet: *Ego ſum qui ſum.* Nonnulli interpretantur hunc loquendi modum fuiſſe quaſi irriſorium Moyſi, more patris ad filium familiari quaſi dicat illi: quid ergo inquiris quinam ſim? An vſque modo me non cognoſcis? *Ego ſum qui ſum,*

VI. quid vltra ſcire poſtulas? Eo modo quo veniens dominus rure (ſic Abulen.) & accedens ad ianuam, ſi famulus intus percunctetur quiſnam ſit, poſtquam locutus eſt, reſpondet, quadam graui commotus alteratione, eo quod ex ſola voce non illum agnouerit, & nullo alio expreſſo nomine, ait: *Ego ſum,* aperi. Ita Deus cum Moyſe ſe habuit petente & interrogante quiſnam eſſet: ſic illi reſpondit. *Ego ſum qui ſum.* Porro meô iudiciô ſenſum hæc verba *Ego ſum* continent altiorem: quia nomen comprehendunt Deo proprium: etenim de illo dicitur propriè quod ſit, quod omne illud quod eſt, habet à ſe ipſo, & non ab alio. *Ecce vos ex nihilo eſtis, & opus veſtrum ex eo quod non eſt.* Ex quia Ariſtoteles multique Philoſophi res huius mundi vocauerunt, *non entia* reſpectu Dei, *Quia propriè eſt principalius nomen de Deo dictum videtur, qui eſt,* ita D. Damaſ. *a* & D. Hieronymus *b* & Origenes *c* Iuſtinus *d* D. Hil. *e* D. Cyrill. *f* D. Auguſtinus *g* Circa quæ ſubtiliter more ſuo diſputat veræ Theologiæ magiſter D. Tho. *h* probat enim qualiter nomen Deo proprium ſit: *Qui eſt. Eſt namque ipſum per eſſentiam eſſe, à quo omnia, quæ eſſe habent illud participant.* Ipſe qui neceſſariò habet eſſe, & non poteſt illud non habere. Omnia eſſe habent contingenter, verùm poſſent hoc non habere, ſicut ſine illo fuerunt tota præcedente æternitate. Itaque hoc nomen eſt maximè proprium eius diuinitati: *Qui eſt, Ego ſum.* In piſcatione Galilææ dixit: *Ego ſum.* In Cœnaculo rediuiuus ait: *Ego ſum,* & alijs multis locis: vnde hodie vti non potuit verbo grauiori quàm hoc *Ego ſum.* Porro quia milites non capiebant huius myſterij ſenſum, ſed tanquam vocem acceptarunt communem & ordinariam, ſine flagello, ſine commotione, talis ſecutus eſt effectus, vt *Abierint retrorſum & ceciderint in terram.* Hinc patet eſſe præclarius hoc miraculum, quàm illud de templo, quod ipſo confirmatur effectu: quia ibi tantum ſecuta eſt fuga mercatorum, hic autem loco fugæ ſubſtiterunt milites vt mortui, collapſi in terram: ibi non obſtantibus omnibus quæ fecit illis Chriſtus, exterminans illos flagello de templo, reuerſi tamen denuo ſunt cum eo collocuturi, verum hic licet à caſu ſurrexerint, ita tamen manſerunt obcæcati vt illum non cognouerint, fueritque neceſſarium vt iterum illos interrogaret: *Quem quæritis? Abierunt retrorſum & ceciderunt in terram.* O ſummam Chriſti bonitatem, quàm glorioſus in hoc apparet actu! Diuus Chryſoſtomus ait quod in illo Dominus præclara multaque manifeſtet miſericordiæ ſuæ beneficia: atque vt certum habet hanc militum terrefactionem fuiſſe principale: & rationem aſſignat ex fine: dicit enim hoc ita factum, vt ſi forte hoc modo poſſet Iudas ad ſaniora conuerti conſilia. Vtuntur quandoque medicum ferrum adhibentem & ignem, vrentem & ſecantem, vbi nihil proficit ſuaue oleum, opus tamen agit pietatis, ea ſcilicet mente vt ſanet infirmum? Ad peccatoris conuerſionem, oleum eſt Dei miſericordia, eſt etiam amor qui producitur ex eius perpetua bonitate: ferrum eſt timor, qui naſcitur ex cognita eius potentia. Quid non agit Chriſtus vt oleum quærat quo Iudam curet & conuertat? Qualem illi bonitatem exhibet, vt illum diligat. Lauat illi pedes ſacram illi exhibet Euchariſtiam, monet illum, illum oſculatur. O diuinum oleum! Sed non emollit, etenim ſemper in ſua permanet obſtinatione contumacior. Manum adhibet ferro, ſuamque illi demonſtrat potentiam, tentat vtrum hoc timoris medio poſſit hunc lucrari proditorem. Et notandum eſt, quod Chriſtus primò potentiam ſuam oſtenderit contra creaturam inſenſibilem vt videret vtrum meliora ſaperet, & poſtmodum contra ipſum hominem. In mentem tibi veniat quod primò coram Iuda ficum maledixerit, & continuò exaruit, quo Iudæ ferrum oſtendit potentiæ ſuæ quo ſemper vteretur ſi non vnguento bonitatis ad meliora conuerteretur: mas ſit Iudas obſtinatus, quocirca ad euidentiorem potentiæ ſuæ declarationem ſignum exhibet in hominibus, imò in illo ipſo & militibus: quatenus ô traditor Iuda ferrum videas, ignem aduertas,

VII. Præclarius eſt hoc miraculum quã eiectio negotiatorum de templo.

41 ℈

VIII. Hic Chriſtus iterum Iudę ſtudet conuerſioni.

IX. Similitudo.

Dei cognoſcas potentiam, & timore concutiaris. Saniora non capit conſilia, atque idcirco condemnatus interijt.

*Ser. in Conuer. D. Pauli.*
X. Cõuerſio D. Pauli opponitur contumaciæ Iudæ

Omnia notauit oppoſita D. Chryſoſ. in D. Paulo, qui eodem medio eodemque ferro curatus fuit & emendatus. Lapſus eſt in terram Paulus lapſus & Iudas, lapſus Paulus retrorſum, & Iudas lapſus eſt retrorſum: in terra Paulus, & in terra Iudas, obcæcatur Paulus, obcæcatur & Iudas, ſpirans minarum & cædis Paulus, ſpirans minarum & cædis Iudas: talia Paulo dantur ſigna, quando diligenter adlaborat vt capiantur diſcipuli Domini, & Iudæ eadem dantur interim dum laborat vt Chriſtus capiatur: vtrobique interuenit captura, vtrobique perſecutio, vtrobique lapſus: ſimile eſt medium & ſignum potentiæ Chriſti demonſtratiuum, ſimile adhibetur remedium: ſed non eadem ſanitas, non eadem eſt ſecuta conuerſio. Quia Paulus illico in ſe reuertitur, altiuſque inclamat. *Quid me vis facere?* & Iudas omneſque milites, inſenſati & lapidibus duriores, denuo cæci & commoti à terra aſſurgunt, iterumque reſpondent ſe Ieſum quærere Nazarenum. O ſacrilegos peruerſoſque proditores, inquit D. Cyrill. etenim illo lapſu ſignant populi hebraici à fide Apoſtaſiam, ſed ſigno pietatis, tam quia illam exhibuit vt videret, an Iudas facti pœniteret, tantam eius intuitus potentiam, quam ne ceteri Apoſtoli ſcandalum paterentur, dum eum vident vinculis conſtringi, quandoquidem etiam viderent quòd propria ductus voluntate ſe capi pateretur.

*Act. 9. 7.*
*In c. 11. Ioan c. 33.*

XI. Variæ huius caſus adducuntur figuræ
*Ioſue. 6.*
*1. Reg. 5.*
*2. Reg. 6.*
*Pſ. 28. 5.*
*Pſ. 67. 34.*

Ceciderunt in terram ad verbum *Ego ſum*, illi qui *non ſunt, ceciderunt*. Æquitas ſuadebat vt figuratum figuris conueniret. Impletam hic cernimus hiſtoriam de muris Iericho, in qua præſens figuratur actus: quandoquidem illi ad buccinæ clangorem in terram euerſi corruerint. Et illam ſimiliter idoli Dagon, qui coram arca in terram corruit. Nec non illam Ozæ qui fœderis arcam tangere præſumpſit, ſed morte periit inopinata: demum illud Pſalmiſtæ vaticinium. *Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani*: cum ad vnicam Chriſti vocem velut mortua tanta corruat miniſtrorum militumque multitudo. Adde & hoc quod idem alio loco dixit: *Dabit voci ſuæ vocem virtutis*: quandoquidem diuinæ ſuæ vocis virtus tantum in cordibus eorum timorem excitauerit. Tandem adiungamus & illud ex eodem: *Conuertantur retrorſum, & confundantur cogitantes mihi mala*: quandoquidem re ipſa conſpicimus quod [illegible] tam peruerſis pleni cogitationibus, quales [illegible] quibus capere nituntur Chriſtum, conuertantur retrorſum, & confundantur: & [illegible] conuenit vt in terram concidant, & [illegible] cæleſtia perſequantur.

§. 17. *In tribus patefecit Dominus ſuam omnipotentiam, poſtquam militibus vires ad reſurgendum tribuiſſet: in cæcitate, quâ illum licet ſibi præſentem, non agnoſcunt: in confeſſione quâ Saluatorem illum fatentur, vocantes eum Ieſum: atque in eo quod ipſi obediant, liberos permittentes abire diſcipulos, ſicut illis præceperat.*

DEdit illis Dominus robur vireſque ad reſurgendum; ſurrexerunt, quos ipſe denuo interrogat *Quem quæritis?* Quibus reſpondentibus vt prius, ait illis: *Dixi vobis quia ego ſum: ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Expendamus cum Origene quod licet magnitudo Chriſti clariſſimè ſe manifeſtauerit in omnibus ſuis operibus, tamen principaliter meô iudicio patuit eo tempore, quo aduerſarij tantò ſtuduerunt eam obſcurare diligentius. Idcirco dicebat: *Ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum.* Quando [illegible] mei obnubilare conabuntur in cruce, me in illa ſuſpendentes, mei nominis gloriam, tunc patentius meam propalabo potentiam ad me cuncta pertrahendo. *Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis*, &c. Quando Regem illum promouere conati ſunt, fugit in deſertum, & quando necem illi inferre meditati ſunt, ingreſſus eſt Ieruſalem pompa triumphali: quando Reges accurrunt illum adoraturi, inuenitur ab illis in humili tugurio, pannis inuolutus vilioribus: quando conuocati apparitores illum apprehenſuri, reperiunt illum tanta facientem prodigia talemque doctrinam prædicantem, vt ex capti ad Dominos ſuos reuertantur proteſtati: *Nunquam ſic locutus eſt homo.* Quando librê eſt, panis [illegible] petit aquæ à Samaritana, & quando clauis hæret confixus fontem propinat latroni [illegible]

tudinis. Inter mendicos & pauperes conuerſatus illis benedicebat, at diuites & potentes excepit ita rigoroſè & aſperè, vt illos & acriter reprehenderet, & eis minaretur terribiliter: *quid me tentatis hypocritæ?* In domos pauperum libenter ingrediebatur: *Introiuit in domum Simonis*, ad domum autem Reguli, nec voluit quidem appropinquare. Itaque ſemper ſuam oſtendebat potentiam; porro vbi fiebat ſibi obſtaculum, manum mutabat, & eadem vi ſe reddebat terribilem.

Videmus hoc in flumine limpido & rapido quod ſuauiter & quietè delabitur in mare: veruntamen ſi manus illi fortior opponatur, & propugnaculis decurſus illius ſuſpendatur, tota conatur vi tollere impedimentum, & paulatim ita incrudeſcit, vt ſpumis eijciat quaſi choleræ, tantumque increſcit, vt omnia dirumpat, petras deijciat, campos demergat, arbores eradicet, domus euertat, ædificia diruat, vſque dum in mare dilabatur. Talis eſt Chriſti potentia, quo tempore nullâ moleſtatur iniuria populum viſitat Iudaicum, & quis exprimat qua ſuauitate illos demulcebat? Salutem impertiebat languentibus, leproſos mundabat, cæcos illuminabat, manus pedeſque mutilis claudiſque tribuebat, mortuos ſuſcitabat: verum dum illi conantur obijcere repagulum, concludere & comprehendere lignis, gladijs, laternis & armis: ecce qualiter vt fluuius impetu vehementior ſuam incipiat magno illorum incommodo monſtrare potentiam, quos omnes ad ſolum ſuæ vocis imperium in terram proſternit exanimes. *Ego ſum*: cumque in præſtituto ſibi delirio contumaces perſeuerarent, & ipſe in potentiæ ſuæ perſeuerat demonſtratione: vt demonſtrat primò: illos interrogans: *Quem quæritis?* Secundò: in reſponſione ab ipſis data: *Ieſum Nazarenum*. Tertio in mandato illis præſcripto: *Si me quæritis ſinite hos abire*. Primò: declarat militum ignorantiam, non enim illum agnoſcebant. Secundò: virtus patet Saluatoris, quandoquidem etiam ipſi inimici hoc eum nomine compellent: *Ieſum*, id eſt Saluatorem. Tertiò innoteſcit eius poteſtas, cum ſibi faciat obedire milites etiam armatos. Tria itaque dant potentiæ Chriſti teſtimonium: obedientia, confeſſio, & ignorantia militum. Ab hac ordiamur ignorantia diſcurſum: hæc etenim nobis exponet inſignem Chriſti magnitudinem.

*Quem quæritis?* Non quærit hoc Chriſtus, quaſi ignorans quem quærerent, inquit Theophilactus, ſed vt tantò clarius pateat eorum cæcitas non enim iam primò ab illis Chriſtus hoc percunctatur: iam primùm illos interrogauerat, & præſciebat: etenim Euangeliſta teſtatur: *Sciens Ieſus omnia quæ ventura erant ſuper ſe*. Et quamuis non ſciuiſſet, iam tunc illi reſponderant: *Ieſum Nazarenum*, & ita certum erat quòd probè calleret quem inueſtigarent. Interrogat igitur vt ex eorum reſponſo liquidò conſtaret, quòd illos miraculoſa quadam percuſſiſſet cæcitate. Et quòd non ſolum prima vice dum loquitur cum illis, ipſum nequaquam agnouiſſent, ſed nec tunc quidem dum ſe oſtendit eis, & aperuit quis eſſet: *Ego ſum*. illum agnouerunt, tamen ſibi loquentem. O militum cæcitatem! O Chriſti miraculum! Si ipſe ſit qui loquitur vobiſcum, & declarat quod ipſe ſit, quomodo illum non videtis? Et ſi videatis, quis vos impedit quo minus illum agnoſcatis? ille ipſe ſine dubio veſtros caligine conſperſit oculos. Notandum cum D. Cyril. quod multa ex illis quæ narrat hic D. Ioannes, ſint circumſtantiæ ad confirmationem, & amplificationem miraculi cæcitatis militum, atque ad hoc tres adducit principales. Prima: venerunt *cum laternis & facibus*. Secunda: quòd illos Chriſtus alloquatur: *Quem quæritis?* Tertia: quod Iudas *erat cum illis*, quæ omnes, quantumuis aliquis peruerſus ſit, illi huius miraculi patefacient amplitudinem. Quid poterant illi dicere? Quod cum nox eſſet, illum non videant; veniant igitur facibus inſtructi & laternis, vt illis hæc non proſit excuſatio. An illos aliorum ſimilitudo Apoſtolorum, ne illum cognoſcerent, impediebat? Illis ergo loquatur, & dicat: *Ego ſum*. An illum non cognoſcentes, credant ſe deluſos? Comitetur eos igitur Iudas, nam *erat cum illis*. Per hoc poterant & viſu & auditu confirmari. Et quis poterat eos certiùs inſtruere, quàm vnus expertiſſimus Apoſtolus, qui tanto tempore viderat illum & agnouerat? Et quod ſignum poterat dari certius quàm oſculum? Credant ipſi quia faces lucebant; illum ſentiunt, quia dixit illis *Ego ſum*. Adſtabat ibi diſcipulus adeo expertus qualis erat Iudas, qui erat eius Apoſtolus. *Erat cum eis*: ibi ſignum manifeſtum: *Oſculatus eſt eum*. Has omnes circumſtantias alio loco declarauimus, illis tamen op-

*In Ioan. c. 8.*

V. Hoc Chriſti miraculum potentiæ declaratur.

*In Ioan.* 33.

obſtantibus quòd illum non agnoſcant, an miraculum dari poteſt illo præſtantius? An Chriſti poteſtas & magnitudo clareſcere euidentiùs? Indubiè magni myſterij eſt ab Euangeliſta hic dici: *Stabat autem Iudas cum eis* & certò vt ego illius ſcirem occaſionem: ſi namque iam dixerat: *ſciebat Iudas locum:* ſi iam præmiſerat: *Iudas cum accepiſſet cohortem venit illuc.* Si iam iterato repetijt Iudam ibi adſtare, iam certò nouimus præſentem adfuiſſe. Vt quid ergo iam addit hanc parentheſim. poſtquam dixerat quod Chriſtus illos interrogauerat: *Quem quæritis*, & illi reſponderant: *Ieſum Nazarenum: ſtabat autem & Iudas cum eis, qui tradebat eum?* Iam nouimus quod cum eis eſſet iam & hoc noui inquit D. Ioannes te hoc non latere, ſed repetit, quia volo per hoc creſcat miraculum obcæcationis Iudæorum & magnitudinis Chriſti, nempe quòd inter tantos, qui cum illo loquebantur, nullus eum agnoſceret, nec ipſe Iudas licet expertus, qui tamen paulo ante eum agnouerat, dum illum his verbis ſalutat. *Aue Rabbi, & oſculatus eſt eum* Diſce cum D. Chryſoſ. quod *excæcauit Iudam quia ſtabat & Iudas cum eis.* Heu Iudam infeliciſsimum! *ſtabat non cum eo, ſed cum eis:* non cum Chriſto, ſed cum Chriſti inimicis, cum impijs impius, cum homicidis homicida, quem in magiſtri ſui conſpectu nec mouet reuerentia, nec emollit pietas, nec pudor confundit metuſque perturbat. Qui amabant, *ſtabant cum eo*: ſed qui tradebat, *ſtabat cum eis.* Cecidit etiam in terram cum ipſis, petit & non cognoſcit, loquitur cum Chriſto, & audit reſponſum: *Ego ſum*, nec illum agnoſcit, ſed denuo cū eis quærit *Ieſum Nazarenum*, Stupeo miraculum. Tria hic mihi miracula occurrunt.

VI. Cur hic de Iuda toties fiat mentio.

D. Chryſoſ. Ho. 82. in Io. n. Tō. 3

Primum, in Incarnatione, quo Deus in ſe inuiſibilis factus eſt viſibilis. Secundum, in Aſcenſione quando receſsit ab oculis noſtris, vel in SS. Sacramento in quo, qui iam erat viſibilis, ſe reddidit inuiſibilem. Et tertium in hac Iudæorum militumque obcæcatione, vbi ſecundum quid, ſe viſibilem, & ſecundum quid, ſe præbuit inuiſibilem. Tres excæcationes nobis profert S. Pagina principales. Prima eſt Sodomitarum: Secunda, Syrorum exercitus. Tertia Sauli poſtmodum Pauli. In Geneſi narratur hiſtoria: cum enim cæleſtes Angeli ad domum diuertiſſent Lot, ingreſsi ſunt, & vix pedem intulerant, cum ecce ſubito tota confluit vrbs Sodomorum: *& vallauerunt domum à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul.* Domus fores obſederunt & inſaniâ non ſupra modum luxuria, prouocata ex Angelorum corporum elegantia qui ſub figura iuuenum formâ præſtantiſsimorum abſtitant, hoc ſibi ita eſſe Sodomitæ perſuadent, laſciuiæ ſuæ toto conamine, tentarunt eorum ... onem, proſilijt foras Lot hanc illis diſſuaſurus, quâ flagrabant impudicitiam, & ... domus oſtium obſerauit ne forte facta vi illas occuparent: *Egreſſus ad eos Lot poſt tergum concluſit oſtium.* Non tamen idcirco minus ... portæ intulerunt, & iam prope effregiſſent, niſi manus vnius ex illis Angeli potentior ... attraxiſſet, atque intra domus penetralia ... cepiſſet, obſtructâ intus fortiter ianuâ: illis autem qui foris remanſerant tanta caligine ſuffuderunt, vt quidquid conarentur, ... non tamen potuerint portam inuenire. *Clauſerunt oſtium, & eos qui foris erant, percuſſerunt cæcitate a minimo vſque ad maximum, ita vt oſtium inuenire non poſſent.* Cum exercitus Regis Syriæ vrbem cinxiſſet Dothain, quo caperent Eliſeum qui in eadem morabatur, rogat Propheta Deum, vt ab eis non cognoſceretur, quod ita contigit, & egreſſus de ciuitate ad illos, cum tamen illum millies vidiſſent, interrogat quem quærerent, & reſpondentibus, Eliſeum, ait illis: non eſt hic, ſed venite mecum: ... vos eò ducam vbi illum inueniatis; & præcedens duxit illos in Samariam, ſic vt nunquam illum potuerint agnoſcere. Hiſtoria de Saulo nota eſt infantibus Apparet illi Chriſtus luce circum fuſus, & equitem in terram proſtrauit & cæcitate percuſſit donec ſub pedibus Ananiæ reciderint ſquamæ ob oculis eius. Litteras acceperat commiſſionis, quâ Chriſti diſcipulos in vincula coniceret, iter ſuum proſequitur, & iam ſpirantem cruciatus & verbera, luce cæleſtis circumdat, corruit & obcæcatur.

VII. Tria ſūt hic miracula.

VIII. Tres narrantur excæcationes.

Quamuis hæc miracula conformia videantur, in quantum omnes obcæcantur, diuerſus tamen eſt hic modus conſiderandus. Eleganter hanc doctrinam proſequitur D. Aug. duas adferens ſpecies excæcationis. Prima dicitur Aoraſia, altera Amentia, ac quibus ſolet ... Abul. Proportionaliter tribus modis excæcat Dominus homines vel auferendo eis videndi ... eo modo vt nihil videant & hoc illi ... cant: vel illos excæcando reſpectu ...

rum rei, ſicut alia viderent, non tamen illam licet illam haberent præſentem: vel viſum non auferendo, ſed permittendo vt omnia videant præſentia, ſed eo modo vt quædam eorum quæ videbant & cognoſcebant, modo non cognoſcant. Primo modo excæcauit D. Paulum vt nihil videret, ita vt neceſſe fuerit, vt eum ad manus traherent. Secundo modo Sodomitas excæcauit, vt ſe mutuo quidem viderent, ſed non portam, licet ſibi præſentem. Et tertio modo cæcitate percuſſit milites Syriæ, vt omnia quidem viderent, & etiam Eliſeum, cui loquebantur, & quem ante cognouerant, etenim millies illum viderant, & cognoſcebãt Samariam, & iter eo tendens, illum tamen quem videbant non cognoſcerent quod ipſe eſſet Eliſeus, nec illa vrbs Samaria, nec illud iter eo ducens; Eliſeus figuram præfert Chriſti: nam ſicut illa cæcitas militibus accidit ad preces Eliſei, ita hic: quamuis non ad preces & inſtantiam: in hoc etenim Chriſtus Prophetas antecellit; nec neceſſariæ fuerunt illi preces, cum ageret illud per ſeipſum. *Ibi* cerno milites & hic pariter: ibi capturi pergunt, & hic pariter, ibi videbant omnia alia, hic eodem modo: ibi Eliſeum, hic Chriſtum: ibi loquebantur Eliſeo, hic Chriſto: ibi Deus illos ita obcæcat, vt ab Eliſeo quærant de Eliſeo, hic ſimiliter in tali forma vt à Chriſto quærant de Chriſto: ibi non cognoſcunt donec Eliſeus pro illis intercedat, vt Deus cæcitatem tollat, hic donec Chriſtus det illis poteſtatem vt eum cognoſcant, non illum agnoſcunt.

XI. Tertiò vſus eſt Dominus hoc modo vincendi per cæcitatem. Primò, quando illum de monte conati ſunt præcipitare, taliter Iudæos excæcauit, vt *per medium illorum iret*. Secundò, quando illum lapidare ſtuduerunt: etenim *abſcondit ſe*, &c. Tertiò hodie, quando illum vinculis volunt innodare: nam hac ſola voce *Ego ſum* obcæcati illum minimè cognouerunt. De duabus ſpeciebus excæcationis, inquit D. Auguſtinus quod illo modo contigerunt, vt decreuerit, ne viderent illud, quod videre deſiderabant, vel ſi hoc videbant, effecit vt licet viderent, non tamen agnoſcerent. Arbitror ego primam excæcationem fuiſſe illam quam refert D. Ioannes dicens quod præſentem illum non viderunt: *Abſcondit ſe. Non abſcondit ſe*, ſic D. Auguſtinus, *in angulo, vel poſt columnam, ſed Diuina poteſtate ſe inuiſibilem inſidiantibus conſtituens*. Secundam quam D. Lucas narrat. Fieri potuit, quod Chriſtus ſe conſtituerit inuiſibilem, vt ego mihi perſuadeo vel non cognoſcibilem: porro cæcitatem hanc hodiernam magis admiror, quod eum videant milites & Iudas, illi loquantur, nec tamen eum agnoſcant: videtur enim illud impleri: *Qui vident, &c. cæci fiant*. Modò conſtat Chriſtum illum eſſe ſolem ad quem ſi quis vt par eſt recurrerit, lucem talem accipit, quâ poſſit illum videre coqui perfrui: porro temerariâ accedentes audacia ſic vt radijs eius ſe ſtatuant aduerſarios, excæcat & tenebris inuoluit O quot cæcos ſol hic illuminauit, & quot videntes excæcauit: hæc illis optimè congruebant: quandoquidem luce lucem oppugnare ſolemque euertere ſtuduerint: quocirca miſerè obcæcati illum non videbant, vel dicero melius, illum videntes, non agnoſcebant. Hôc ſuppoſitô poteſtas Chriſti & magnitudo innotescit per hanc miniſtrorum militumque, qui capturi eum venerant, excæcationem. — Cap. 4. — Matth. cap 13.13. — Ioan. c. 9. 10.

XII. Cur milites vſi fuerint nomine Ieſus.

*Ieſum Nazarenum*. Interrogationi Chriſti reſpondent ſe quærere Ieſum Nazarenum. Hoc aliud eſt argumentum auctoritatis & poteſtatis Chriſti confirmatiuum: quandoquidem volendo vel non volendo fateantur quod tantus ſit vt ſit ſuper omne nomen in cælo, in terra & in inferno, qui eſt Ieſus. Nomen eſt hoc magnitudinis, nomen maieſtatis, nomen ſalutis & gloriæ. Nemo non miratur quod cum Chriſtus alijs quoque vocaretur nominibus, dum Iudæi & milites illum eo volunt nomine compellare, quo poſſent viliori ne vel aliquam fateantur in ipſo dignitatem, illo compellent nomine, quod cætera complectitur, & maiori afficiunt honore quàm poſſent, ſi illud facere toto ſtudio conarentur. Tria ſunt in SS. Litteris ſacratiora nomina: Emmanuel, Ieſus, & Chriſtus. Emmanuel expreſſit Iſaias: *Vocabitur nomen eius Emmanuel*, &c. Nomen Ieſu conſtat ex D. Luca. *Vocabis nomen eius Ieſum*. Atque ex D. Matthæo. *De qua natus eſt Ieſus*, &c. Nomen Chriſti declarauit D. Ioannes: *Inuenimus Meſſiam qui vocatur Chriſtus*. Inter hæc primum eſt naturæ: Tertium officij, & ſecundum perſonæ proprium Emmanuel ſignificat. *Nobiſcum Deus*, & non ſignificat aliud, quam quod in ipſo natura diuina vnienda foret humanæ: quocirca nomen eſt naturæ. Chriſtus vn... — Iſai. c. 7. 14 — XIII. Tria nomina in SS. litteris ſacratiora, & quid ſignificent. — Cap. 1. — Ioan. 1. 45. — Cap. 1.

indicat, vt erant Reges, Sacerdotes, & Prophetæ, & talem ipſi credebant futurum Meſſiam, vnde nomen eſt officij.

Nomen autem Ieſus, nomen erat quo apertius ab aliis diſtinguebatur, & eo cõmuniter ab omnibus vocabatur. Iudæi illum non habebant vt Deum, nec Meſſiam, ſed virum de plebe vulgarem, cui præter puri hominis eſſentiam aliud nihil ineſſet. Quia illum non credebant eſſe Deum non dixerunt: *Quærimus Emmanuelem*: quia eum vt Meſſiam non habebant, non reſpondent: *Quærimus Chriſtum*. Sed quia hominem eum exiſtimabant purum, nomine vocant illum quod credunt mero homini proprium, & aiunt: *Ieſum Nazarenum*. Quis autem, Domine, ſanæ mentis inficietur te eſſe Emmanuelem & Chriſtum? D. Matthæus nomen Emmanuel interpretatur: *Nobiſcum Deus*: non quod Græcè ſcripſerit, ſed quia verba compoſita in vna lingua, in eadem exponuntur, & diuerſis vocibus declarantur, vt eorum intelligatur Etymologia. Huic nomini nomen inſeritur Dei, ſed diuerſo modo, quam in nominibus Gabriel & Raphael; in his enim ſcribitur in genitiuo: *Medicina Dei* &c quod eſt eſſe Dei miniſtros: verum in nomine Emmanuel ponitur *in recto*, vt dicit Theologus, *Nobiſcum Deus*. et quamuis in (Michael) ingrediatur etiam hoc nomen, *Deus in recto*: *quis vt Deus*: tamen non eo modo, vt nomen hoc *Deus* ſit prædicatum, vel attributum illius ſubiecti, vt Logicè loquamur: ſed bene quidem in (Emmanuel) quia ſic homo erat, vt eſſet etiam verus Deus: vnde ſoli Chriſto conuenit.

Idem conſiderandum in nomine Chriſti, id eſt *vncti*, quod nomen eſt officij, quo vocabantur illi, qui ad aliquam promoti dignitatem inungebantur: vnde Reges dicebantur Chriſti, & eo nomine ſcribit Spiritus S. Saulem Regem. Similiter Sacerdotes & Pontifices Chriſti dicebantur: ita Deus ore vetat Dauidico illos intelligens; *Nolite tangere Chriſtos meos*. Denique Prophetæ dicebantur vncti; de Eliſeo legimus: *Vnge Eliſæum pro te*. Quia vero Meſſias exſpectatus in multis SS. Paginæ locis dicebatur futurus Rex, Propheta, ſimul & Sacerdos: idcirco quod Hebræi vocabant Meſſiam, in Græco legitur *Chriſtus*: & idcirco dicitur: *Inuenimus Meſſiam quod interpretatur Chriſtus*. Porro quis ignorat Domine, te fuiſſe Regem? *Rex Regum & Dominus dominantium*. Sacerdotem? *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Prophetam? *Scio quia Propheta es tu*. Idcirco meritò nunc poterat illis te vocare Chriſtum. Verumtamen ex alia parte dubitantes interrogabant: *Numquid vere cognouerunt Principes, quia hic eſt Chriſtus?* Quis non videat quod ipſi ſeipſos, in iſtis Iudæos, excæcate? Dicunt enim: *Hunc ſcimus, vnde ſit: Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit vnde ſit*. Et ita noluerunt eum indigitare Emmanuel, Meſſiam, Chriſtum, ſed reſpondent ſe quærere *Ieſum Nazarenum*, quod nomen illis videbatur eſſe abiectiſſimum; verum enim vero tale eſt vt nomina comprehendat Emmanuelis & Chriſti, & Meſſiæ omniaque appoſita complectitur, vt nomen ſuper omne nomen.

Ieſus id eſt Saluator. Quæritur nonnulli cur Chriſtus non inſcripſerit ſeipſum Emmanuel, vt ab Iſaia fuerat prædictum? Reſpondet D. Iuſtinus, idem eſſe Emmanuel ac Ieſus. Tertul. & D. Chryſoſtomus, aliique dicunt Emmanuel non fuiſſe nomen proprium, quo filius hic erat nominandus: *ſed quia conſuetudo Scripturæ eſt res quæ contingunt pro nominibus ponere*. Idcirco dixit Iſaias vocandum Emmanuel, id eſt cognoſcetur Emmanuel, & videtur Deus homini, Deus etiam ſe nobis præſentem exhibebit, nec ſolum videbitur nobis coniunctus per præſentiam, eſſentiam, & potentiam, ſed inſuper per vnionem hypoſtaticam, & hoc eſt dici Emmanuel. Porro reſpectu Dei, quod ipſe dicatur aliquid, ipſum eſt eum eſſe, & eius eſſe, eſt eo nomine compellari, atque idcirco vocabitur Emmanuel: quia in reliquo vitæ ſuæ tempore nomen eius commune, et vnum quod omnia hæc complectitur, quod eſt Ieſus: quia cum nemo niſi Deus poſſet ſaluare mundum, & hæc ipſa ſalus non niſi à Meſſia exſpectaretur, dum Ieſus vocatur, et euidenti conſequentia erat & Emmanuel, & Meſſias quod eſt Chriſtus. Ita tempore Iudicum quando Deus mittebat aliquando virum populo Saluatorem, vocabat eum Saluatorem: *Suſcitauit eis Saluatorem*. Sed Saluator & Ieſus amphaticè & antonomaſticè quis eſſe debebat niſi Emmanuel & Meſſias ille qui Deus eſſet & homo. Et ita capitulo apud D. Lucam & D. Matthæum & clarè patet, quia in D. Luca hoc Iſaiæ vaticinium de Chriſto pronuntiatur: quia Angelus (inquit) Ie-

1. Reg. 24. Pſal. 104. 3. Reg. c. 19. 16.

Ioan. 1.

iudicio) de ſyllaba ad ſyllabam alludit ad verba Iſaiæ. *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ex quo infertur quod cum vocatur Ieſus, vocetur virtualiter Emmanuel: & idem eſt de nomine Meſſiæ & Chriſti: cum enim alius non ſit Meſſias & Chriſtus, niſi ille quem Iudæi exſpectabant venturum eos ſaluaturum & liberaturum; Meſſias aliud non erat quam Saluator & Ieſus, vnde dicendo *Ieſum*, implicitè dicitur *Chriſtus*. Et confirmatur ex eo quod dixit Angelus Ioſeph nominis aſsignans rationem: *Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum.* Vbi notandum quod dictum idem nomen Virgini, rationem eius Angelus non indicet: vel quia coram tanta puritate, quâ Virgo præfulgebat, non decebat nominare *peccata eorum*: vel quia Virgo diuinis detinebatur exercitata meditationibus & ita ſtatim ipſa intellige et eundem futurum Meſsiam, Chriſtum & Emmanuel.

Eia igitur ô milites tali cum vocate nomine quod vobis maximè videtur ignobile: nam etiam vobis inuitis hoc ipſo vocabitis cum omnia præcipua & maxima illi cognomina attribuendo: Illum etenim vocando Ieſum, quod nomen eſt omni melle dulcius, omnia comprehenditis. Tribus ſcribitur literis. *Iod, Sin, Vau* ex quibus *Iod* numerum ſignificat denarium, *Sin* centenarium, *Vau* vnitatem, quo demonſtratur quòd in illo eſt vnitas & numerus denarius, centenarius & qui tres ſunt numeri ceteros comprehendentes, & tria quæ omnia comprehendunt. *Iod* ſignificat diuinitatem, *Vau Arborem vitæ*, *Sin* *Quietem*: quia ex *Iod* diuinitatis eius habemus *Vau* vitæ gratiæ, & conſequemur *Sin* quietis gloriæ. *Iehoua* nomen eſt Patris, *Miriam* nomen eſt Matris eius, *Iehoua*, cum vno *Iod*, vno Vau & duobus He conficiunt viginti ſex. *Miriam* cum vno *Res*, duobus *Mem*, & vno *Iod* conficiunt ducenta nonaginta. Itaque inter nomen Patris & Matris inuenitur numerus trecentorum & ſedecim, Nomen *Ieſu* per *Iod* ſignificat decem, *Sin* trecenta, *Vau* tex in vniuerſum trecenta & ſedecim: ita vt comprehendat id quod habet Pater & quod Mater, *Nobiſcum Deus.* Omnes numeros habet Patris, quia totam eius comprehendit naturam, & omnes pariter numeros Matris, quia eius etiam naturam comprehendit. O Nomen diuinum, *In quo oporteat nos ſaluos fieri.* In ipſo noſtra eſt ſalutatio. *In quo flectitur omne genu*: cui ſubſternitur, humiliatur, & inclinatur, & proſternitur omnis creatura. *Oleum effuſum*, quia miſericordias effundit vberrimas: *In quo quidquid petierimus Patrem, dabit nobis.* Per ipſum nobis Pater largietur quidquid petierimus: *In quo*, dicendo claudo *ſurge*, confeſtim ſanus ſurrexit & incolumis: *In quo eijciuntur Dæmonia* ab obſeſsis corporibus. *In quo* Baptizo, remitto peccata, culpaſque abſoluo. *Si quid donaui vobis*, inquit Apoſtolus, *in nomine Chriſti donaui.* Nomen eſt, per quod milites etiam inuiti ſupremam Chriſti potentiam fatentur & dignitatem.

Act. 4.
Philipp. 2. 10.
Cant. 1.
Ioan. 14. 14.
Matt. 12. 28.
2. Cor. 2. 10.

*Nazarenum* Quod ipſis accidit in Nomine Ieſu, idem contingit in *Nazareno*: ſi nam pe penitius animum eorum conſideremus nomen hoc peruerſâ pronuntiant malitia: quia Chriſtum nominant Nazarenum, nomine ſcilicet planè indecoro: cum vrbs Nazareth vilis eſſet & cenſeretur ignobilis, Quinimo idcirco Iudæi illum appellabant Nazarenum, eo quòd conſtans hæc eſſet opinio Meſſiam oriundum in Iudæa Ciuitate Bethleem, iuxta Michææ vaticinium: vnde dicendo illum Nazarenum, illum ſubſannabant qui ſe Meſſiam eſſe iactabat, indicando eſſe impoſsibile ſine contradictione Prophetarum aliquem eſſe Nazarenum & Meſsiam. Idcirco dum Philippus dixit Nathanael, *Inuenimus Ieſum filium Ioſeph à Nazareth*: Nathanael vtpote in SS. Litteris verſatus reſpondit cum admiratione: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Quæ verba D. Auguſtinus legit affirmatiuè, ſed D. Cyrill, & alij legunt interrogatiuè. Et quaſi deſignando prodigium quod aliquid boni poſsit eſſe à Nazareth. Et hæc erat frequentiſsima Iudæorum obiectio. *Numquid à Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit ex ſemine Dauid & de Bethlem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?* Et Nicodemo obijcitur: *Scrutare Scripturas & vide quia à Galilæa Propheta non ſurgit.* Vnde laborabant Phariſæi introducere in populum nomen Nazareni, quod ſecum duceret confirmationem, & certitudinem quod Chriſtus non eſſet Meſſias, atque hoc nomine paſsim ab omnibus dicebatur. *Hic eſt Propheta à Nazareth.* Et apud D. Lucam hoc nomine indicatur: *De Ie-*

46 XVI. Cur dixerint milites Nazarenum?

Ioan. 1. 46
Tract. 7. in Ioan. in Ioan. c. 5.
Ioan. 7. 4.
Ioan. 7. 52.
Matt. 21.
Luc. 24.

*Ieſu Nazareno:* & Pilatus vt idiomate loqueretur Iudæorum in titulo quem è cruce Chriſti ſuſpendit lingua ſcripſit Iudæorum: *Ieſum Nazarenum* & moderni Iudæi dicunt *Ieſum Nazarenum*. Patrum dicebant verum, quia conceptus erat in Nazareth: ſed quantum ad natiuitatem erat ex eo loco ex quo Prophetæ prædixerant nempe Bethleem, & hoc ſufficit vt conſtet quam peruerſo animo cognominarent illum, *Nazarenum*.

Nec minor eſt dignitas Domini: quia hoc eum nomine vocantes Prophetizabant neſcientes quid dicerent: nam ita nominando illum vel nolentes, honore eum afficiebant infinito. Nomen hoc *Nazareth* duas complectitur ſignificationes iuxta modum ſcribendi cum Zayn, & Tſade. In primo ſignificat *Separatum*, in ſecundo *Florem*. Et in quolibet iſtorum quo maiori potuiſſent honore milites Chriſtum afficere, quàm vocando illum *Nazarenum*? *Nazareni* vocabantur illi qui *Separabantur ad Diuinum cultum*. Idcirco dicitur Samſon Nazarenus: & nullus magis ſeparatus fuit quam Chriſtus Dominus, qui non ſolum ſuper omnes ſubſtantias extitit ſeparatus vt Deus, quia talis erat, ſed etiam vt homo fuit ab omnibus aliis ſeparatus cum eſſet ſine peccato, ceteri vero peccatores. Et ita dixit, diu Gregor. Nazianzen. quod *Nazareni*, ſignificet *ſeparati*. Et tales oportet vt ſint Religioſi ex vitæ puritate & innocentia. Tertullianus autem hortatur vt omnes Chriſtiani in tantum ſint Nazareni, quantum illis eſt poſsibile: hoc eſt ſeparati à peccato, memores ſe milites eſſe veri illius Nazareni de quo dicitur: *Non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*: & ille vnus ipſe eſt. Verum in alia ſignificatione quando nimirum ſcribitur per Tſade, vt patet in titulo crucis, ſignificat *Florem*. O florem inſignem, de quo ſic habet oraculum Iſaiæ: *Egredietur virga de radice Ieſſe, & Flos de radice eius aſcendet*. Flos fructum deſignat vicinum & mox futurum, atque idcirco quando flos apparuit in terra dici poteſt, quod *Appropinquauit Regnum cælorum*. Idem flos ſe fructum reddit: *Flores mei fructus honoris & honeſtatis*. Hic autem flos in remedium adducitur illius fructus decerpti ex arbore Paradiſi, idcirco ab alia voluit arbore ſuſpendi, tali qualem profert cœleſtis Paradiſus. Quando flores de terra germinant, plantæ videntur à morte reſuſcitari, & apparente inter nos Chriſto, atque à mortuis rediuiuo, firmatum eſt certiſsimum vniuerſalis mortuorum reſurrectionis argumentum; *Ego flos campi*. Non flos horti opera pullulans hominum, ſed campi, cœleſtibus tantum influentiis: *Flos campi* communis omnibus, Chriſtus natus pro omnibus. *Flos campi*: flos ſingularis inſigne omnium mundi camporum ornamentum. Eia igitur milites illum contemnite, illum explodite, illum vocate Nazarenum: in hoc enim confeſsionem magnitudinis eius edetis altiſsimam, Chriſtoque titulum adſcribetis, quo non poteſtis eminentiorem.

XVII.
Nazareth duo ſignificat

Num. 6.
Iudic. 15.

Orat. de funere Patris.
Li. 4. contra Marc.

Pſ. 13. 2.

Iſa. 11. 1.

Matt. 3. & 4.
Eccli. 24. 23.

*Si ergo me quæritis, ſinite hos abire.* Iam duo illa produximus argumenta potentiæ Chriſti confirmatiua. Tertium profero vbi materiam hæc verba ſubminiſtrant: *Sinite hos abire*, quæ non minori probant euidentia & certitudine Chriſti potentiam. In illis ſuam Chriſtus expoſuit potentiam, quia protulit illa pernos imperio; q. d. Velitis, nolitis expedit vt obediatis, & quamuis magno veniatis numero coadunati contra Apoſtolos meos *Sinite hos*. O ſupremam potentiam! O non effabilem Chriſti magnitudinem! Comprehendi voluit Chriſtus, ait D. Auguſtinus, quia niſi vellet, nec illi facerent illud ad quod in hortum veniebant, nec Chriſtus illud ad quod venit in mundum. Sed cum ille ſolus mundum ſit ſaluaturus, ipſe ſolus voluit apprehendi, quocirca mandat: *Sinite hos abire*. Non illis loquitur deprecando, non rogando, nec ſupplicando, ſed imperando. Domine mi & quis imperat? Vnicus homo, inermis, ab inimicis circumuallatus. Quibus imperat? Militibus pluribus & armatis, inimicis, viris qui circumdant illum offenſuri, cunctis denique circumſtantibus. Quid imperat? Contrarium illi quod intendebant. Vt honorent illos quos aderant iniuriis affecturi, vt liberos dimittant quos capturi conuenerant, vt illos non tangant quos comprehenſuri aduolarant tam ipſum quam omnes illi comites adhærentes. Deinde quod inter tot armatos inimicos maneant tres illi piſcatores diſcalceati ita ſecuri, ac ſi poſt murum ſtarent adamantinum. Imo (quod magis obſtupeo) tam efficax eſt & forte Saluatoris imperium vt vnus ex illis manum adiciat gladio, militem feriat, aurem abſcindat, & qui cor-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tota illa turba dicat illi verbum, toruoque inſpiciat vultu, videas neminem. Quale hoc prodigium? Conſidera vtrum ſe poſsit ſaluare, qui tanta ipſos faci itare cogebat, eos quos volebat ipſe, reuereri. Hinc colligit Caietanus, iuuenem illum qui pallio reiecto fugit, non fuiſſe Diu. Ioannem: ſi namque vnus fuiſſet de numero Apoſtolorum fugâ ſibi non conſuluiſſet, audito tali Saluatoris imperio: *Sinite hos abire* ſic volo, ſic iubeo, ſic impero. Vos autem reſpondete, quem quæritis? Ieſum, Saluatorem. Ego ſolus ille ſum, me ſolum capite, nam ſi quidem vt vos ſemel proſtraui, ſic poſsum & centies, nolo tamen: porro *Sinite hos abire*: illos etenim volo mortis meæ teſtes Euangelij mei prædicatores, meique nominis tubicines vocaliſsimos: *Nolite tangere Chriſtos meos*. Hic igitur ſummam manifeſtat bonitatem ſuam & potentiam. Milites cæcitate hæ ent turbati præ tanta ſapientiæ Chriſti demonſtratione. Milites de ipſo locuti vocant eum Saluatorem, in bonitatis eius liquidiſsimam demonſtrationem. Milites ad vnicum eius verbum contradicere non valent, ad eius potentiæ teſtimonium. Pateat igitur quod ſi manus illi iniciant violentas, non hoc agant, niſi ipſo volente, illiſque dante poteſtatem.

§ 18. *Hora vocatur Domini in qua traditus fuit in mortem: quia mors eius ſubiecta fuit eius ſapientiæ, voluntati & potentiæ: & hora ſimiliter fuit militum & miniſtrorum: quia omnium profutura erat ſaluti, & quia in ipſa dedit illis poteſtatem, vt mortem eius executioni mandarent.*

17 47 SIcut Dominus formam aſſumpſeras ſerui ad noſtræ redemptionis opus, & ſicut talis traditus fuerat, nec non proprium illi eſt qui talis eſt, vt manibus tradatur eorum, qui illum emerunt; idcirco tradi voluit eorum, manibus: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* forſaſſe verbum non eſt in SS. Scriptura, quo denotent Expoſitores plura myſteria, quàm in hac *Hora*, ſuper hanc clauſulam: *Hora erat quaſi ſexta*, ſuper hæc verba; *Duodecim ſunt horæ diei*, & circa illa: *Venit hora quando mortui audient vocem filij Dei*, ſuper horas vineæ, quæ toties ponuntur: ſuper horam cœnæ, & ſuper mediam horam Apocalypſis? Origenes, Diu. Hieronymus Diu Auguſtinus: *De verbis Domini.* Diu Ambroſius & Diu. Gregorius, de his agunt. Verumtamen loca ſunt hæc notatu digna: nam agens Dominus de tempore Paſsionis ſuæ vtitur hoc verbo, *Hora, Ecce appropinquauit hora* Apud Diuum Marcum, *Si fieri poſſet, tranſiret ab illo hora.* Apud Diu. Ioann. *Nondum venit hora mea:* et alio loco, *Nondum venerat hora eius.* et iterum: *Venit hora vt clarificetur filius hominis:* et deinde: *Veni in horam hanc. Pater ſaluifica me ex hac hora* *Sciens Ieſus quia venit hora eius. Ecce venit hora, etiam venit:* et paulo ſuperiùs: *Pater venit hora*, et infinitis alijs locis vocatur Chriſti Paſsio *Hora*: & quamuis in multis illorum dicatur abſolutè hora, in alijs tamen dicitur hora Chriſti: *Hora mea, hora eius.* Sed numquam vocatur hora alterius perſonæ, & præſertim inimicorum, niſi hic: *Hæc eſt hora veſtra*.

Hora Paſsionis Chriſti vocatur abſolutè *Hora* antonomaſticè eâ formâ quâ dum dicimus Poëta abſolutè, intelligimus apud Græcos Homerum & apud Latinos Virgilium; & per vrbem ſignificatur Roma, per Prophetam Iſaias, per Apoſtolum D. Paulus, per Doctorem Angelicum Diu. Thomas: ſic per horam abſolutè, hora intelligitur Chriſti Paſsionis: quia hæc hora eſt horarum totius mundi. Si reuoluamus à principio mundi, omnes ſcripturæ nullam aliam conſiderarunt horam quàm hanc; omnes Prophetæ non ad aliam quam ad hanc collimarunt; omnes figuræ non aliam quam hanc deſignarunt: euangeliſtæ non non de alia magis principali quam de hac egerunt: omnes Doctores non exponunt myſteria de alia quam de hac eminentiora. Ab hac hora dependet æternitas eccleſiæ, duratio Beatitudinis mundique tempus. O hora horarum! Si quid mereor, huius horæ virtuti adſcribo: ſi ſatisfacio, in virtute huius horæ fit iſta ſatisfactio: ſi mihi ſacrificium opituletur, huius horæ virtuti gratias ago: ſi baptiſmus me lauet, huius horæ virtuti congratulor; ſi pœnitentia me reconciliet, huius horæ virtus in hoc agnoſcitur: ſi ſaluer, in huius horæ ſaluor efficacia: tandem omne bonum, omne meritum, omne præmium in huius horæ virtute poſsideo, in qua de morte

Chri-

Marginal notes: L. Notatur Chriſti hora. Ioan. 4. 6. Ioan. 11. 9. Ioan. 5. 25. — Ho. 2. in Cant. lib. 1. contra Iouinia. ſer. 15. in Luc. c. 15. 1. Reg. 9. Matt. 26. Marc. 14. Ioan. 2. 1. & 13. & 16.

Chriſti velut de principio & fonte puriſſimo omne noſtrum ſcaturit bonum, meritum, & beatitudo. Hæc hora verè dicitur hora plenitudinis: quia in ea ſola completa ſunt oracula Prophetarum, figuræ & diuinæ prædefinitiones: ſalus & redemptio hominis: *Conſummatum eſt* ait Dominus quando ad hanc peruenerat horam, *Circa horam nonam.*

II. Cur dicatur abſolute hora.

Quando tituli, licet multi, alicuius rei non valent integrè declarare magnitudinem, aptiùs illa ſine illis & nudè declaratur: ſic Euangeliſtę ita ſimpliciter gloriæ pœnæque ſcripſerunt myſteria nullis adiunctis titulis nulliſque epithetis: quia vbi tituli & epitheta ipſâ ſunt excellentiâ & magnitudine rerinferiora, quibus illam ſtudes honorare, ſatius eſt illa omittere. Nomen hoc Rex abſoluté dictum omiſsis maioribus titulis, maiorem denotat actoritatem, quàm dicendo, Rex huius vel illius Regni, quia per hoc ſignificatur non eſſe poſsibile quibuſcumque titulis eius comprehendere maieſtatem, qui hoc nomine declaratur. Præcellentia Paſsionis Chriſti ſic omnibus eſt ſuperior titulis, vt nullo poſsit titulo comprehendi: quocirca vt illam pleniùs indicarent Euangeliſtæ abſoluté illam pronuntiant eſſe horam, nullo ſuperaddito ei titulo: *Appropinquauit hora*: vel ſi aliquando adiungatur, dicitur *Hora eius.*

III. Diſcrimé inter horá noſtram & Chriſti.

Hoc diſcrimen eſt inter Chriſtum & nos, quantum ſpectat horam mortis, quod hora eius ſit hora Chriſti & nos eius hora ſumus, quia illi ſubiicimur, ipſa verò Chriſto.

IV. In tribus morti ſubiicimur.

*Matt* 25. 13. *Matt*. 14. 42. *Eccle*. 8. 8. *Hebr*. 9. 27. *Pſ*. 88. 49.

In tribus morti ſubiicimur, quantum ad ſcientiam, ad potentiam, & appetitum. In ſcientia, quia horam ignoramus: *Neſcitis diem neque horam*, nempe mortis: *Vigilate, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Si potentiam ſpectes nemo valet illi reſiſtere, imo nobis venit inuitis; *Non eſt in poteſtate hominis continere ſpiritum*, id eſt animam, ne corporis relinquat ergaſtulum, quando mortis hora aduenerit: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Iam eſt præſtituta hora in qua ſingulis eſt moriendum, & hoc tantum ſemel. *Quis eſt homo qui viuet, & non videbit mortem?* Quantum ad appetitum naturalem attinet illi ſubiicimur: quia numquam id valemus efficere, vt mors nobis dulcis efficiatur: imo impoſſibile eſt vt ipſa in ſe moleſta non ſit, nobiſque diſpliceat: ſic audio loquentem Apoſtolum: *Qui in hoc tabernaculo ſumus, ingemiſcimus grauati eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri*: & ita Chriſtus expoſuit Diuo Petro, quando de morte eius ſic illi loquitur: *Alius te cinget & ducet quo tu non vis.* Verumtamen Chriſto mors erat ſubiecta quantum ad hæc tria. Primò in ſciendo: quia *Sciens quia venit hora eius*, in voluntate: *Oblatus eſt quia ipſe voluit*: et in potentia, quia illam Chriſtus ſibi ſeruauit qui ſe contra omnes tutaretur, & ſicut ipſe dixit miniſterio etiam Angelorum: *Pluſquam duodecim legiones Angelorum.* Nec claui potuiſſent manus eius pedeſque perforare, quibus confixus detineretur, nec lancea latus aperire, nec ſpinæ diuina eius tempora terebrare, nec flagella ſacrum eius vulnerare corpus, nec milites illi manus iniicere violentas, ſi ille non permiſiſſet, iiſque ad hoc dediſſet ipſe poteſtatem; *Hora eius*: & ratio hæc erat, cum enim omnes Paſsionis mortiſque circumſtantiæ illius eſſent, id eſt eius ſubiectæ poteſtati, pariter & tempus eiuſque hora illi ſubiiciebatur. Locus mortis non eſt hominis, quia non eſt in manu eius, vt eo quo vult, loco moriatur. An non meminiſti quod Herodes illum occidere voluerit in Bethleem, ipſe verò noluerit? Similiter cum Patriotæ illum voluerunt in Nazareth interimere ipſe tamen non conſenſerit: quia Dominus erat loci mortis ſuæ: *Et non capit Prophetam perire extra Hieruſalem.*

Idem notamus in modo moriendi: conantur die quodam cum lapidibus obruere, ſed hoc modo nequaquam mori voluit ſed *Abſcondit ſe & exiuit*: ſtudent illum ex ſummo deorſum præcipitare, ſed talem noluit mortem acceptare: *Tranſiens per medium illorum ibat.* Ad confirmationem eius quod Chriſtus horum omnium eſſet Dominus, nominatim autem horæ eius, in mentem tibi veniant nuptiæ in Cana Galilææ, quas tantum Diuus Ioannes deſcribit, quia ipſe Sponſus fuit ex ſententia Diui Auguſtini & V. Bedæ, vel ob alias rationes quas alij SS. Doctores proferunt: In illis defecit vinum, & Virgo puriſſima Materque eius Sanctiſsima quæ præſens aderat, præſentem illi neceſsitatem indicat, aitque: *Vinum non habent*: cum intentione quod ipſe neceſsitati ſuccurreret virtute licet miraculi: cui ſic ille: *Quid mihi & tibi eſt mulier, nondum venit hora mea*: Mulier quid ad me,

& te ſpectat vini defectus, ſi nondum venit hora mea? Exponunt nonnulli hanc horam de tempore faciendi miracula quaſi dicat Chriſtus, illud nondum aduenisse in quo patraret miracula. Quomodo ergo illud effecit? Reſpondet Diu. Chryſoſtomus, quod dicere voluerit, nondum venit hora mea faciendi publicè miracula: & ita nondum horam effulſiſſe quâ hoc patraret. Vel quod nondum hora illuxiſſet faciendi illud miraculum donec vini defectus ab omnibus animaduerteretur. Diu. Auguſtinus exponit de hora mortis meæ, illa enim propria eſt hora mea, in qua declarabo, quid mihi & tibi ſit mulier, id eſt quid ego de te acceperim: Nam de Deo accepi eſſe Dei: *Deus de Deo, lumen de lumine*; de te verò naturam humanam, ex hac parte mortis adueniet hora, per illam declarabitur hanc eſſe meam: nam ſicut Deus tempus ad illam ego præſtituo. Itaque hanc ſuam vocat horam, in qua cauſa eius eſſet ventilanda, & negotium quod in ſe ſuſceperat abſoluendum ſcilicet mundi redemptio. O horam non pondere menſuratam, non terræ iotis, ſed diuinæ pondere voluntatis, & intra immenſæ ſuæ totas æternitatis!

*Hora veſtra & poteſtas tenebrarum.* Siquidem expendimus quare mors & Paſsio Chriſti dicatur eius hora abſolutè, & etiam hora cum addito *Eius*, tamen ratio ſuadet vt etiam expendamus quare vocetur hora Iudæorum. Apage quorundam deliramentum qui ſe iactant Aſtrologos dicuntque quòd ex inde ſua probabant iudicia: *Hora veſtra*: q. d. Nunc, ita nunc acceſsit capturæ meæ conſtellatio. Apertam ſapit Ethnicismum hoc credere quaſi prius non fuiſſet ordinata Chriſti captura, quàm cœli ſunt creati. Conſentamus quod nonnulla hi ſignificent ſed nequaquam quòd effectus producant contingentes, hi namque à noſtra dependent libera voluntate. Hanc materiam fuſè tractant Diu. Auguſtinus, & Diu. Thom. nec eſt credibile actiones humanas à cœli pendere conſtellationibus: quia licet ſecundum corpus ſimus ipſis cœlis inferiores, attamen ſi ſpectes animam ſumus longè ſuperiores. Vnde nihil voluntarium cognoſci poteſt: quia animæ noſtræ corporum cœleſtium ſunt influxibus ſuperiores. Notandum facinus illud hominum Apoſtolicorum: nam plures igni libros tradiderunt, *Curioſarum rerum*, quod nonnulli interpretantur de Aſtrologia iudiciaria. Quomodo ergo ſubeſſe poteſt cœli motui res adeo voluntaria, qualis erat mors Chriſti? Iudicium audi D. Auguſt. *Non ſtella fecit Chriſtum naſci ſed ipſe eam fecit mirabiliter apparere.* Dicitur ergo hæc eorum hora. *Hora veſtra*, eo modo quo dicimus dum alicuius hora aduenerit, quâ ſe poſsit vendicare: *Venit hora eius.* Quàm ardenter Iudæi vindictam de Chriſto ſumere deſiderabant? *Hæc eſt hora veſtra.* Act. 19.19

Verùm etiam in hac forma loquendi dico, non eſt hora veſtra, quia tu Domine ille es qui nobilem hanc de tot iniuriis ſumpſiſti vindictam, qualem hactenus nemo cepit: cum illæ tantæ fuerint quantæ fuerunt offenſæ Dei, ſupremæ iuſtæ maieſtati à tot annorum in mundo curriculis: *Hora eorum*: quia hora venerat non tantum Iudæorum ſed omnium hominum; quia in illa morte, quæ in illa hora debebat executioni mandari, omnes ſalutem vitamque conſequerentur: & ideo omnibus, militibus & Iudæis ait Chriſtus: *Hora veſtra*: quia *iam non erit diſtinctio Iudæi & Græci.* Sed aptiùs Chriſtus loquitur: *Hora veſtra*: quia nunc Deus permittit vt ipſum capiant: etenim talem numquam illis dederat poteſtatem & facultatem: & hoc eſt, *Poteſtas veſtra, nam poteſtas tenebrarum & poteſtas eſt diabolorum*, ita Diuus Cyrillus q. d. quòd illo momento diabolo conceſſa ſit poteſtas quidlibet contra Chriſtum exequendi. Alij ſic capiunt: *Poteſtas tenebrarum, per vos*, nunc data eſt dæmoni poteſtas quatenus me vobis adiuuantibus interficiat. Alios lego ſic intelligentes: *Poteſtas tenebrarum id eſt ignorantia*: qua malitioſa regnauit, ignorantia, & caligo tenebrarum; etenim *ſupercecidit ignis, & non viderunt ſolem.* Numquam potuerunt tenebræ contra ſolem quidquam efficere, nunc autem illis tribuitur poteſtas qua lucem eius obtenebrent. Dedit illis idem Dominus poteſtatem quâ vinculis eum conſtringerent ſicut illa fuit de qua Pilato dixit: *Non haberes aduerſum me poteſtatem vllam niſi tibi datum eſſet deſuper*, Quocirca in templo *Non tenuerunt eum*, quia non erat eis data poteſtas. Nunc igitur quando tenebræ contra lucem præualent poteſtate, conſiderandum ſuper eſt qua ratione Chriſtum talibus iam traditum manibus ſint excepturi.

Rom. 10. 12.

VIII. Quæ ſit hic poteſtas tenebrarũ.

D. Cyrill. *In catena aurea.*

Pſ. 57. 9.

Ioã. 19. 11

Matt. 21. 36.

Modo videbis diſcipulos fugâ ſibi conſulentes, negantes Apoſtoles, audaciores apparitores, inſultantem infernum, ſputis faciem eius conſpergi, caput ſpinis terebrari ipſum opprobriis exponi, derideri & ironicè fictéque Regem adorari: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum.*

§. 19. *Cum facultatem Chriſtus miniſtris dediſſet qua caperetur, cum ait:* Hæc eſt hora veſtra; *omnes diſcipuli relicto eo fugerunt etiam ipſi maximè familiares; quia opus erat ſoli Domino reſeruatum noſtræ redemptionis; quia teſte Propheta, Torcular ſolus ipſe calcaret.*

☞ 49 QVando diſcipuli Chriſtum viderunt manibus traditum ſuorum inimicorum, *Omnes relicto eo fugerunt.* Punctum hoc notarunt Diu. Matthæus & Diu. Marcus, quod nimirum eum deſtruxerunt. Hoc inter alia dignitatem oſtendit prælij, quando quis ſolus inermis contra multos procedit, & adit domum inimici. Hic innoteſcit Chriſti victoria, armis omnibus exuti, & qui paſſurus in cruce, in aëre progreditur, hic domus eſt dæmonum, & ſolus. *Torcular calcaui ſolus*: Vt autem opus redemptionis mundi in morte ſua completum, illi adſcriberetur, permiſit vt omnes eum deſererent. Neſcio quid magis admirer, vtrum hanc Chriſti ſolitudinem, vel abiectam Apoſtolorum ſocordiã: *Tunc relicto eo omnes fugerunt.* Quales hi milites, qui ad primum belli tumultum terga vertunt, ducemque deſerunt puſillanimes? Accidit aues in agris conſiſtere, quis inopinatò lapidem illis adiicit, ilico omnes aufugiunt & conatæ ſe periculo eximere in paratos ſibi corruunt laqueos. O cæleſtem lapidem Chriſtum! Hodie namque cadit & confeſtim videre licet aues diſcipulos ſuos auolantes, dumque fugiunt, in retia incidunt peccatorum. Fuit hæc eorum culpa grauis, quia *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor*: quia hoc Chriſto reſeruabatur: *Timor & tremor venerunt ſuper me & contexerunt me tenebræ.* Iam illi ſecuri erant hoc Chriſti præceptô: *Sinite hos abire.* Deinde tempus tunc erat Chriſtum confitendi & cum illo moriendi. Vah! Apoſtoli vbinam

*Iſai. 63.3*

I. Apoſtolorũ taxatur ſocordia.

*Pſ. 13. 5.*
*Pſ. 54. 6.*

eſtis? *Eo relicto omnes fugerunt.* Non eum confitentur, quia fugere eſt illum negare. Ideo his diebus quaſi obmuteſcendo dicuntur horæ diei, ſed Matutinum voce altiori & cantu, quia horæ ſunt noctis; quia Apoſtoli in duodecim horis diei ceſſarunt à Chriſti confeſſione, & tantum auditæ ſunt obſcuræ Prophetiæ: *Vt implerentur Scripturæ*, & vſque ad ipſos latrones, cum vnus ex illis & hac celebrem altiorem ediderit de Chriſto crucifixo confeſſionem: & Centurio qui dixit: *Verè filius Dei erat iſte.*

*Omnes diſcipuli relicto eo fugerunt*, cumque ſolum in Paſſione ſua & morte deſerunt. Quid hoc Bartholomæe fugis? Cum peregrinis & ſtemmate oriundus Regio, tantum in capite ſocordia? Et tu Thoma, qui tantâ contrarius audacia vitam tuam morémque condiſcipulorum eius causâ expoſuiſti: *Eamus & moriamur cum illo*: quid ſic cum omni deſtitutus auxilio? Quid vos Simon, Iacobe minor, Ioannes, & Iuda Thaddæe Chriſti fratres vobis fugâ conſulitis? Deinde duo Germani fratres vobis fugâ conſulitis? Deinde duo Germani fratres Iacobe & Ioannes, qui præ cæteris parentelam eſtis proteſtati: *Poſſumus bibere calicem*, modo fugam initis ignominioſam? Tunc Ioannes dilecte? Tu Petre quem paulo ante buccinantem audiui: *Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* modo leporem induis & ignauiâ torpeſcis? Heu infirmitas! Heu magna nimis ignauia! Heu timor non ferendus! Sed hæc facta ſunt vt impleretur illud de Pſalmo: *Elongaſti à me amicum & proximum, & notos meos à miſeria.* Et hoc aduertit Ven. Beda implendum erat illud, quod ipſis Chriſtus prædixerat: *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in nocte iſta.* Et hoc Zachariæ vaticinium: *Percutiam paſtorem & diſpergentur oues gregis.* Et ſic neceſſe fuit vt fieret quia opus hoc Heroicum ſoli Chriſto ſeruabatur: *Torcular calcaui ſolus*: quandoquidem per hoc magnum oſtenderet officium Redemptoris, & quod ipſum ſolum eſſet ſufficiens, vt alterius non requireret mortis ſocietatem, ad eximium redemptionis noſtræ myſterium. Ad hoc, ex mente Diui Cyrilli ſocios Chriſtus non vult, nec quidem Apoſtolos ſuos in morte ſua & Paſſione, ne quis forte crederet, quod alio quam ſuo ſanguine mundum redemiſſet. *Sine ſanguine non fit remiſſio*: porro ſanguis eſſe debuit vnius ſolius, qui mor-

modo futurus erat. Quocirca quamuis ad remiſsionem Pœnæ temporalis, per ſuffragia Eccleſiæ ſanguis opituletur Martyrum, om- niaque opera ſatisfactoria, quæ ſanctis ſuper ſunt, atque in eiuſdem communi ſeruantur theſauro: porro quantum ſpectat ad culpæ remiſsionem, quantum ad totum meritum, & ſummatim quantum ad vniuerſalem redemp- tionem,& toti mundo ſufficientem, nullus nos niſi Chriſti ſanguis emundauit: vnde mixtio- nem vel ſocietatem ſanguinis recuſauit alte- rius. Modò patet impleta illa parabola de Patre familias, qui per triginta & tres annos ſedulò vineam excoluit, & nunc tempus eſt adeundi Torcular, vt *Veſtimenta eius fierent ſicut calcantium in Torculari*: adiutorem non ſuſtinet, ſed ipſe ſolus illi ſufficit. Quia Torcu- lar Crux eſt, & ipſe ſolus illam aſcendit, ideo aliquem non patitur ſibi comitem. & qui cum illo calcet Torcular: idcirco ad huius myſterij perfectionem, permittit vt omnes in fugam abeant diſcipuli, eumque ſolum vtcumque deſerant: *Et relicto omnes fugerunt.*

Quia vero quodlibet verbum grauia con- tinet myſteria, conſultum erit vt illa ſingilla- tim expendamus. *Tunc*, notat Diuus Chryſo- ſtom. quod non fugerint dum Chriſtus cape- retur, & *Manus iniicerent in Ieſum*, ſed quando dixit: *Hæc eſt hora veſtra*: quia ex nunc cla- reſcit Chriſti magnitudo, nam vſque dum dedit licentiam, nec decipere dæmones po- tuerunt (hoc enim eſt: *Poteſtas tenebrarum*. qua potuerunt ſua malitia totaliter obcæcare) nec Iudæi in illum inſurgere, nec diſcipuli fugam capeſſere: hæc autem eo dicente: *Hæc eſt hora veſtra, tunc fugerunt*, q.d. idcirco fugerunt, quia tunc illos deſeruit: *Tunc dimiſit eos*. Meminerit illius *Dimitte eam*, quod Apoſtoli Chriſto dixerunt, quantum ad Chananæam: etenim aliqui declarant quod tanto feruore in ora- tione perſeueraret, quanto Chriſtus illam diuinæ ſuæ gratiæ calore fouebat, dicunt enim: *Dimitte eam*, q. d. Domine, vnum è duobus: aut gratiam aufer illi, ne tanto ferueat orationis ardore flammaque charita- tis, vel eius annue poſtulatis. Quia verò hoc facturus non es abſque eius demerito, illam exaudi. Tunc ſe homines à Chriſto ſegregant, quando dimittit eos. Quando dixit: *Hæc eſt hora veſtra*, certo modo dimiſit eos. *Et tunc*, quamuis enim vt notat Diuus Auguſtinus & Theophilactus illud *Tunc* non dicat conſe- quentiam temporis, ſicut ſuperius dum agens de deſtructione Hieruſalem, tranſgreditur ad iudicium illo aduerbio. *Tunc ſi quis dixerit vobis, Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ne credide- ritis*. Et Diu Matth poſt adorationem Regum annectit vnum *Tunc venit Ioannes*, annos tranſ- grediendo: attamen magis communiter & ordinariè temporis ſignificat ſucceſsionem: *Tunc reſponderunt quidam de Scribis*, dicitur hoc propter præcedentis ſucceſsionem. Sicut *Tunc abiit vnus de duodecim*. Et alio loco: *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus*: & ita dicente Chriſto: *Hæc eſt hora veſtra*, ſecutum eſt: *Tunc dimiſit eos*, denotando vnius ad alterum ſucceſsio- nem: vel vt intelligerent hoc quod dixit, vel quia certo modo illos deſeruit. *Tunc dimiſit eos*.

Lib. 2. de Conſenſ. Euang. Luc. 2. Matth. Matt. 15. 21. Matt. 12. 38. Matt. 11. 20.

VI. Quinam dicuntur diſcipuli.

*Diſcipuli eius*. Si fuiſſent alienigenæ vel ini- mici qui illum deſeruerunt non tanta fuiſſet culpa, ſed diſcipuli: & non quilibet, ſed qui erant Apoſtoli: quia vox illa *Diſcipuli* primò ſumitur pro quolibet Chriſtiano iuuene ſiue ſeniore: *Creſcente numero diſcipulorum* id eſt Chriſtianorum. Et Diu. Athanaſ. notat quod primò omnes Chriſtiani dicebantur diſcipuli, & Antiochiæ, vſque ad caput vndecimum Actuum Apoſtol. notamus quod vocari cœpe- rint Chriſtiani, & hactenus ſemper nomine cenſentur diſcipulorum. Secundò intelliguntur hoc nomine ſeptuaginta duo diſcipuli, quos Chriſtus præter Apoſtolos elegit: *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos*. Vltimò in- telliguntur hoc nomine Apoſtoli, & cum aliqua ſingularitate, ob quam de ſe ſic ſcribit Diu. Ioannes: *Diſcipulus quem diligebat Ieſus*. Et ita verbum illud *Tunc diſcipuli* non ſignificat Chriſtianos in communi, nec ſeptuaginta duos diſcipulos, ſed qui flos erant & præcipui claſ- ſis Chriſti, intelligo Apoſtolos, illi namque fuerunt inter alios electi, illi, *Quos Apoſtolos nominauit*, illi quos amicos elegit ſibi familia- res, quibus *Omnia nota fecit*, illi quibus pote- ſtatem dedit *Vt & languores curarent*, illi quibus ſingularem & diſtinctam infudit notitiam myſteriorum Regni Dei: *Quibus datum eſt noſſe myſterium Regni Dei*, illi quos ordinibus initiauit, & quibus largitus eſt gratiam, pote- ſtatem, excellentiam, & ceteris omnibus ſuperioritatem; *Omnes* non vnus, non duo ſed *Omnes*, illi quod ipſis dixit *Omnes vos ſcan-*

Act. 6. 7. Orat. contra Arian. Luc. 10. 1. Ioan. 13. 3. Ioan. 21. 20. Ioan. 15. 16. Luc. 8. 1.

*dalum patiemini in me nocte iſta.* Nec capiendum eſt ſicut aliàs, quaſi omnes, ſicut cum dicitur: *Omnia vanitas*: etenim non omnes ſed quaſi omnes ſectantur vanitatem. *Omnes declinauerunt* Non vult dicere omnes ſed quaſi omnes: non ita hic intelligendum, ſed pro omnibus ſumitur, ita vt dicat, *Nemine excepto*, ſi iam velis Iudam excipere, ſed hic iam non erat Apoſtolus, ſed Apoſtata, & quamuis poſtmodum Petrus & Ioannes *ſequerentur à longe*, tamen in hac occaſione *Omnes fugerunt*. Quantum coniicio nobis in memoriam reducit Euangeliſta omnium defectum, nam dicente Petro: *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo*: adiungit: *Similiter & omnes dixerunt*. Hi omnes ecce hîc: nam Petrus & *Omnes fugerunt*.

Eccle 1.2.
Ps.13.3.

V. Laus ſolitudinis D Gre. Naz. De pauperum amore.

*Ereliclo* Appoſitè ô Domine ſolus remanes, quia tu ille cui cantamus: *Tu ſolus Dominus, Tu ſolus Altiſſimus, Tu ſolus Sanctus*, Mirabilis eſt hæc ſolitudo. De qua ſic D. Gregor. Nazianzen. *Praclara res eſt ſolitudo & vita ab hominum cœtu & commercio ſemota: idque me docet Eliæ carmelus, Ioannis deſertum, & mons ille ad quem Ieſus ſæpe receſſit*, Iſraelitæ in deſerto Manna receperunt, legem & alia beneficia ſibi à Deo conceſſa. David Pſallebat: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine.* Iſaac ſeceſſit in ſolitudinem vt feruentiùs vacaret orationi: *Egreſſus fuerat in agrum ad meditandum.* Baptiſta prodromus in ſolitudine cœlos vidit apertos. Cum Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, Moyſe, Samuel, & Dauid Deus non loquitur niſi in ſolitudine & monte ſolitario. De D. Paulo primo Eremi cultore ſcribit D. Hieronymus quòd centum tredecim annis ſpeluncâ ſua ſeu rupe concaua non ſit egreſſus. De D. Antonio litteris tradit D. Athanaſ. quòd vixerit quaſi ſemper in ſolitudine. De D. Hylario narratur dum ad illuſtrem Sanctitatis illius famam populi multitudo confluerel, lacrymas dolens effundebat, quòd in ſolitudine multitudinem inueniſſet. O cella mea, nauis optima. quæ tanta ad portum me ducis ſecuritate! O arca, de qua niſi egrediatur anima, non perit, & ſi egrediatur, non eſt vbi pedem figat niſi ſuper fœda cadauera mortuorum! O ſolitudo, quæ me à mundi defendis inſidiis! Porro non eſt hæc tua Domine ſolitudo; quamuis enim ſolus à diſcipulis relinquaris, multitudine tamen

Ps.54.8.

Gen.24.63.

circumuallaris apparitorum: *Ereliclo*; quem omnes prius ſequebantur, ſolum deſtituunt, illum qui tot antea comites habebat vt in nauem deſcendere cogeretur ex ea prædicaturus, *Ereliclo*; ab iis qui paulo ante ſe felices adeo cenſebant quia illi collaterales incedere poſſent Hieruſalem. Et ignoras quid ſit Chriſtum deſerere? Si timore mortis fugam arripis, an neſcis quòd vbi ille non eſt, mors illa? Sed illum deſere, ſic D. Athanaſ. cum illum ipſum à quo fugis in vita, ſequêris in morte: & hunc à quo primò fugis ne moriaris, nunc dum viuit, mortuum ſequêris, vt cum illo moriaris. Curre Petre quo te ſert voluntas, cito namque ducêris ab alio, Quo tu non vis.

§. 20. *Quamuis Chriſtus potuerit inſita ſua præualere potentia, vt alias fecit, nunc quando capitur poteſtatem conceſſit vt eum ligarent, quo nos ab illis eriperet laqueis quos Adam nobis parauit.*

CVm iam omnino certi eſſent de perſona Chriſti, ſeque liberos cernerent vt manus Chriſto iniicerent eumque caperent, dicunt Euangeliſtæ: *Cohors autem & Tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum, & ligauerunt, & adduxerunt ad Caipham.* Milites & miniſtri Dominum comprehenderunt ligaruntque fortiter catenis & manicis, & circumuallantes militibus armorumque ſtrepitu ex horto ſe proripuerunt verſus domum Caiphæ magno tumultu & commotione non parua ferocientes, ſibique perſuadentes ſe prædam occupaſſe quâ mundus non viſit opulentiorem. Potuiſſet ſe Chriſtus defendere, ſi voluiſſet, & vngues infinitæ ſuæ exerere potentiæ, quos educere cœperat quando vt Leo ſuæ vocis tantum terrore illos in terram proſtrauit exanimes, ſed Leonis figuram in Agni mutauerat manſuetiſſimi. Quando lupi inueniunt ouem, & Paſtor vicinus adeſt ac vociferatur, latrantque canes, recedunt omnes & fugiunt, verùm quando eam ſolam cernunt, quodque pro libitu eam poſſint inuadere, quam ferociter illam aggrediuntur? Occidunt illam, membratim diſcerpunt, deuorant & deglutiunt. Ouicula eſt Chriſti humanitas

Tallor eſt verbum æternum illi vnitum, ouile eſt Hieruſalem, canes multitudo miniſtrorum, lupi ſunt Scribæ, Phariſæi, ſacerdotes, & Principes, quanto tempore circuierunt lupi illi ouem hanc deuoraturi, hanc Chriſti humanitatem apprehenſuri, ſed modo paſtor illam defendebat, id eſt Verbum non hoc eis permittens, quia *Nondum venerat hora eius*: aliàs canes timorem incutiebant, quia *Timebant plebem*: iterum quia latebat ouis in ouili Hieruſalem: *Ne forte tumultus fieret in populo*. Porrò hodie oui huic diuinæ occurrunt extra ouile Hieruſalem: *Egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron*, à Paſtore deſtitutæ: *Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Non comitantur illam moloſſi, etenim ſola eſt cum diſcipulis ſuis, per ſyluas vagatur *In villa Gethſemani*, ipſa ſe ipſam manifeſtat: *Ego ſum*. Quam cito feſtinant lupi? Quàm acriter inſiſtunt, quam ferociter mordent, quam inhumanè dilacerant, quàm fortiter ſtringunt, quàm excipiunt immaniter? Quis capit, quis ligat, quis premit, quis conterit, quis conſpuit, quis male dicit, quis blaſphemat? Milites & miniſtri vt lupi carniuori eius ſanguinem haurire ſitientes qualiter tractant illam, quàm intolerabiliter!

Comprehenderunt ergo illi Chriſtum: *Cohors ergo & Tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt Ieſum*. Hic completur illud de Pſalterio: *Captabunt in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt*. Quid maioris momenti quam libertas? Et quomodo voluit Chriſtus vt intelligeretur eſſe ſe liberum in eo quod dixit Diuo Petro: *Ergo liberi ſunt filij*, ac nihilominus illam vult perdere & permittere vt comprehenderetur? O felix captiuitas! O beatæ manus quæ Chriſtum capiunt & beatus ille qui Chriſtum comprehendit, ſed non ſicut illi *Comprehenderunt*. Ait Diu. Auguſtinus *Dum comprehendunt ab illo recedunt, quem comprehendunt*. Notate maledicti, dum eum ſtudetis illum comprehendere, fugit ipſe à vobis, & numquam viam aperuiſtis eius libertatis latiorem, quam dum eum capere contenditis & hoc modo captiuate. Captiuarunt illum & ligarunt, vt Dauidis oraculum impleretur: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Funes extenderunt in laqueum*. Et illud Ezechielis: *Fili hominis data ſunt ſuper te vincula*. Alia ſunt vincula Domine quibus nos conſtringis: *In funiculis Adam in vinculis charitatis*. Alia ſunt Domine vincula illa quæ cum eis ligati eſſemus dirupiſti: *Vincula eius dirumpam & non dominabuntur ei amplius alieni*. Ligarunt Chriſtum, vt Iudæ præcautioni ſatisfacerent monentis: *Tenete eum & ducite caute*. Similiter quia vt notat Hugo de S. Victore, eo tempore non ligabantur, niſi cauſæ capitalis rei, & ligare aliquem ſignum erat mortis, O admirabile myſterium! primò namque ad Chriſtum accedunt velut ad latronem, & poſtmodum ligant eum vt virum mortis reum: *Illum ligant* (inquit D. Cyrill.) *qui vt eos ſolueret aduenerat. Eum ligant* (ita D. Aug.) *à quo ſolui deberent*. Illum ligate fortiter, etenim vobis aſſirmo, quod quando cognoſcetis quia ipſe eſt, illi ſitis gratias acturi: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*. Eia agite Hebræi videte quid agatis: illas etenim ligatis manus quæ cælos condiderunt, quæ mouent orbem, quæ de Ægypto vos duxerunt, quæ vos ſeruitute liberarunt. Cum illas ligetis ne conqueramini poſtmodum ſi comprehendamini & toleretis ignominiam, nec ſit qui vobis faueat, qui liberet, qui conſoletur, quia manus illas ligaſtis; interea dum eas haberet liberas: *Singulis manus imponens, curabat omnes*: Modò verò dum eas ligatis: *Multis diebus eritis ſine ſalute*. Ligare illum nec vobis ſufficiat ligare ſimpliciter, ſed fortiùs conſtringite & multiplicate nodos, & ita fecerunt in domo Annæ: *Miſit eum Annas ligatum ad Caipham*, & de Caipha ad Pilatum: *Vinctum duxerunt eum & tradiderunt Pontio Pilato*. Quod ſi vobis non videatur fortiter ſatis ligatus, clauis eum configite acutioribus, nec vos audiam poſtmodum expoſtulantes, quòd tanto vos tempore deſerat, quando *Non relinquetur in te lapis ſuper lapidem*. In Hieruſalem tota hæc erit ruina, nec illam impedies. Nec vobis cæcitas auferetur, cum illi manus conſtrinxeritis, nec vobis faciet vt cæco illi quo vos illuminet, lutum de ſaliua ſua, quo liniat oculos veſtros detque vobis ſalutem.

Dicere non poterimus Domine illud Dauidis de Abner: *Manus tuæ ligatæ non ſunt*: porrò noui quod vincula ſoluere valeas multò faciliùs quam Samſon, vt patuit in eo quod hactenus operatus es: qui namque vincula potuiſti mortis diſſoluere in Lazaro eaque

Pſ. 11. 61.
Pſ. 139. 6
Ezec. 3. 25
Oſe. 11. 4.
D. Cyrill. In Ioan. c. 37
D. Aug. Tract. 112 in Ioan. Tom. 9.
III. Iudęis nocuit quod Chriſtũ ligauerint.
Luc. 19. 44.
2. Reg. 3. 34.

tam fortia, qualia erant ſepulchri, in quo
Ioan. 11. 44. *Nulla eſt redemptio*, & imperare: *Soluite eum & ſinite abire*, & iumenta ſic vt Domini
Marc. 11. 2. eorum non contradicerent: *Soluite & adducite mihi*: & brachia tantorum militum in
in vnico verbo *Sinito* in ordine ad diſcipulos, vt illos non tangant, & illos qui
veniebant vinculis armati, quibus te ligarent: non minus tuo te potuiſſes verbo vinculis
eximere. Poterant aduolare cælites integris legionibus vt manus tibi diſſoluerent &
Pſ. 2. 3. vincula dirumperent: *Dirumpamus vincula eorum*: ſed non aga Domine, cum enim
noſtræ ruinæ principium fuerit ſolutio manuum, dum eas Adam ad fructum extenderet
vetitum prædo ſacrilegus *Inuito Domino*. Permitte te ligari vt latronem, quatenus
his vinculis ſolvantur illa, quibus
Prou. 5. 22. homo ligatus detinetur: *Funibus peccatorum Comprehenditur impius*: omneſque poſſimus
Pſ. 106. 14. tibi decantare: *Dirupiſti vincula mea, vincula eorum diſrupit*. Porro iam intelligo Domine,
quod te nolint Pontifices eſſe liberum: quia liber illo argius vt hypocritas & latrones,
eorum prohibes viuras, reprehendis impietates, flagellum componis quo cædas
eos temploque exturbes: non te liberum appetunt; ſed hoc me non latet, quod licet
ligatus funibus conſtrictus, tamen *Non eſt*
Iſa. 59. 1. *abbreuiata manus Domini vt Saluare nequeat*: iam vidimus quod eum etiam ligatum vincula
detinere non potuerint quo minus Malchum curaret auremque quam abſtulerat ei Petrus,
ſuo loco reſtitueret. Mane Domine ſic ligatus, etenim ita nobis modò conuenit vt
ligeris, nec vincula illa noſtræ ſuſpendent beneficia redemptionis.

### §. 21. *Oſtendit ſe Chriſtus verum Deum in patientia qua pertulit alapam ſibi a milite inflictam in domo Pontificis.*

52 CHriſtum igitur ligatum, vt dictum eſt, ex horto eduxerunt, & *Adduxerunt ad Caipham*. Heu hortum Gethſemani, iam totam tuam perdis pulchritudinem, dum à te Chriſtus auellitur. Florem habebas de quo vaticinatus erat Iſaias:
Iſai. 11. 1. *Egredietur virga de radice Ieſſe & flos de radice eius aſcendet*, fructus ſuauiſſimus, fontem qui proprium ſuum poterat dare ſanguinem, hoc modo diſcedit à te, cunque tibi deprædantur. Porro Domine extrahunt te homines de Paradiſo non violenta, cum eadem manu illos eiecerit Angelus de Paradiſo, Ille Cherubim vigil ad oſtium horti tibi gladio ſuo ferox occurrat; *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem*: etenim Diui Ambroſius & Rupertus aiunt, gladium illum igniteum quem Deus ibi ſtatuit non niſi penas ſignare purgatorij, quod neceſſe eſt vt tranſeamus: nemo etenim cœlum purgandus ingreditur. Cum ipſa natura eſſet immunda, quamuis particulares fuiſſent mundi, tranſire tamen non poterant: gladius hic detinuit Dauid, Abraham, cæteroſque Patres antiquos ne cœli Paradiſum intrarent, antequam Chriſtus moreretur, ob infectionem & maculã naturalem, non perſonalem. Occurrat igitur tibi Domine gladius hic: *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem*. Tota deuoluatur modo pœna in te, quam natura debet, & abſoluar ego, & naturæ nullum ſit purgatorium niſi perſonis, ſicut & *adduxerunt eum vinctum ad Caipham*.

Magno igitur feſtiui gaudio concurrebant milites & miniſtri Chriſtum adducentes captiuum. Pertranſierunt cum illo domum Annæ, vt in hoc illi gratificarentur eumque hoc ſpectaculo recrearent deinde produxerunt illum in domum Caiphæ. Diuerſæ ſunt hæ duæ domus, quamuis nonnulli dubitent: quia ſuſtinent eandem fuiſſe domum ſed permagnam cum diuerſis habitaculis in quibus habitabant ſocer & gener; verumtamen extra controuerſiam eſt fuiſſe diſtinctas locisque diſtinctis ſituatas. In hoc completur figura antiqua ſacrificij vaccæ rufæ, quod ſupremum omnium fuit ſacrificium, præfiguratiuum mortis Chriſti: etenim præcepit Deus vt primò duceretur ad Moyſen quatenus eam diligenter inſpiceret verum eſſet digna aptaque ſacrificio, & deinde Eleazaro ſummo ſacerdoti, vt de eius ageret ſacrificio. Ita Chriſtus Dominus noſter, antequam tempus accedat ſacrificij, quod de ſe ipſo offerret in ara crucis, accedat primò ad domum Annæ, & deinde ad ædes Caiphæ ſummi ſacerdotis: *Cum eſſet Pontifex anni illius*. Hic totum conuenerat Concilium Chriſtum exſpectans. Vt oblatus fuit ſummo Pontifici & coram toto conſtitutus Concilio, cum illi nullum aduerſus Chriſtum proceſſum inſtituiſſent, nec informationem aliquam, qui co-

II. Cur Chriſtus interrogatus de diſcipulis ... coram populo capturam eius iuſtificarent, notam intentant informationem, auctoritati ſua, nequitiæque confiſi & multitudini, Pontifex interrogauit illum de diſcipulis ſuis, rationem exegit de populo qui ſequebatur eum, atque de doctrina quam prædicabat. His duobus elicere conabatur eum eſſe Romani Imperij Deique traditorem: etenim hæc crimina ſunt ceteris enormiora, quæ
3. Reg. 21. dicuntur: *Crimen læſæ Maieſtatis Diuinæ, & crimen læſæ maieſtatis Benedixit Deum & Regem.* Hæc duo crimina Chriſto imponunt, quòd Dei eiuſque legis eſſet proditor: quia nouas prædicabat leges nouamque cudebat doctrinam, qua de cauſa puniri merebatur à populo Iudæorum Dei eiuſque S. Legis protectore. Deinde quòd traditor eſſet Romani Imperij, cum ſe Regem extolleret, tantam populi multitudinem & diſcipulos ſibi concilians, ob quam culpam à gentilibus erat condemnandus. Ideirco percunctatur de diſcipulis eius & doctrina, præcipiens illi forma iuridica vt declararet, cur tanta illum populi turba ſequeretur, & quinam eſſent, huic innitebatur quod illum die quadam ſequerentur quinque millia hominum, quando miraculum patrauit de quinque panibus, & alias loca deſererentur ab hominibus illum ſecuturis, deinde ſolemnem illum accepiſſet applauſum quo die Palmarum fuerat receptus in Ieruſalem: & ita prætendebant, declarante Chriſto diſcipulos ſuos tuoſque aſſeclas, illum accuſare vt hominem mala laborantem ſuſpicione, ſeditioſum Regnique affectatorem. Similiter de doctrina requirunt, vt exponente illo præcipua eius principia poſſent illum calumniari vt legi Moyſi doctorem oppoſitum, quam à Deo acceperant; vt autem illum de ambobus condemnarent, reſponſum eius exſpectabant, notos ad manum habentes cauteriatæ conſcientiæ qui teſtes forent eorum omnium quæ vellent, & notarium qui ad eorum ſcriberet beneplacitum.

Verùm parum profuit hæc diligentia, quia ſic illi Chriſtus reſpondit: *Ego palam locutus ſum mundo &c. Hi ſciunt quæ dixerim ego* Ad interrogationem de diſcipulis ſuis non reſpondit: quia illum omnes deſeruerant, & quia
Pſ. 141. conueniebat vt ipſe primum agmen prælij perrumperet ſic canente Dauid: *Conſiderabam ad dexteram & videbam, & non erat qui cognoſceret me, perijt fuga à me.* Nullus adſiſtit lateri meo dextro comes, qui me defenderet cauſamque meam aſſumeret aduocatus, ſolus adſliti: etenim omnes terga mihi verterunt, & quaſi me numquam agnouiſſent, omni ſubſidio deſtituerunt: *Perijt fuga à me.* q.d. id quod in more habemus: mihi non eſt fugiendum, & hoc egregiis Chriſtus terminis explicauit. *Perijt fuga à me*, in meis manibus fuga perijt, deinde non inueni qui curam ſuſciperet mihi vitam conquirendi: & non eſt qui requirat animam meam, non eſt qui prodeat mei defenſor. Ad quæſtionem de doctrina, reſpondet. Ego palam locutus ſum, in templo, locis publicis & diebus Paſchæ ſolemnioribus; numquam lucem euitaui, imo in ipſa dixi: *Ego ſum lux mundi*: ſicut enim ſol ſe toti manifeſtat mundo lucidus vbicumque tranſit, ita Chriſtus doctrinâ ſua publicè & manifeſtè mundum illuminabat: vnde ſicut omnia animalia teſtes ſunt lucis Solis eiuſque caloris vſque ad ipſa metalla quæ in terræ viſceribus producuntur, nec opus eſt Soli calorem ſuum lucemque aſſerere, ſed ad illud prouocare quod de ipſo omnia teſtabuntur quæ ſunt in terra, imo quid dictutæ ſint ſtellæ & luna in cœlo conſiſtentes: ita Chriſtus doctrinam ſuam ad eos remittit qui illum docentem audierunt: quia Pater illam approbauit, & Spiritus S. & Angeli, & elementa, quia hæc omnia Chriſto obtemperarunt ad doctrinæ eius confirmationem, nec ipſos excipio dæmones, qui illum ſuperiorem ſibi fatebantur, virtutem eius ſentientes, ex poteſtate quâ illos de corporibus, quæ poſſederant, eiciebat

Hæc verba vera erant, multumque Chriſti probant innocentiam, dixit autem illa cum auctoritate quadam & efficacia: quia in eo quod ſpectabat modum loquendi, & amplius honorem Patris ſui & doctrinam, numquam vel atomum de ſua perdidit auctoritate: illud aduertentibus miniſtris qui aderant auctoritatem illam & maieſtatem quâ quæſtionibus reſpondebat Pontificis cuiquam eorum viſa eſt libertas inordinata viri captiui ſuæque ſic proximi condemnationi: quocirca manum ſuſtulit ſacrilegam, Diuinæque que eius faciei alapam infregit, ſic eum interrogans: *Sic reſpondes Pontifici?* Satis intelligitur ratio quæ miniſtrum hunc mo III. Cur ſeruus Chriſto

ſto alapā impegerit.

monit impudentem ad facinus adeo execrabile. Notauit auerſum vultum quo Pontifex & præſentes Chriſti reſponſum exceperant, quodque ex eo quaſi conuicti fuiſſent, ſignis quibuſdam præ'erentes contemptum quo illum dedignabantur, neſcientes illi reſpondere, nec tamen te quod replicarent. vt autem vidit animum Chriſti in eo quod dixit credidit ſe poſſe Pontifici gratulari eiuſque comitibus ſi faſtum hunc vt ipſe iudicabat Chriſti reprimeret & humiliaret, quocirca colaphum illi impegit in hæc verba: *Sic reſpondes Pontifici?* Hæc verba eo modo ſunt declaranda, quo illa D. Petri, dum Chriſtus illi pedes lauat: dum enim maieſtatem illam & celſitudinem Dei cernit in Chriſto ſuis prouolutam pedibus quos iam lauare tentabat, ſtupore perculſus in hæc verba prorumpit:

Ioan.13.7

*Tu mihi lauas pedes?* Sicut enim in verbis illis tota vis erat in illo *Tu*, & in illo *Mihi*, nam in illo *Tu*, Deum capimus inexplicabilem & in illo *Mihi* intelligimus quod cum nihil eſſet, non eſſet cur in ipſum intenderet.

Eadem regulā peruerſus hic reſpondet miniſter: cum tu ſis quies & talis vt neceſſe fuerit binos armare populos gentilem, & Iudaicum ad te capiendum, cum ſis homo adeo flagitioſus, & vtrique populo declaratus inimicus, tanta ſic reſpondes auctoritate tumenſque libertate tanto Pontifici, qui in terris locum ſupplet Dei? Siccine facie ad faciem effrons tanta loqueris libertate? Itaque itinere incedendo contrario D. Petri, extulit quantum potuit Pontificem, & depreſſit Saluatorem, atque libertatem quā reſponderat, exaggerauit. Sine dubio Chriſtus hic oſtendit ſe verum Deum tantā tantam patientia ferens iniuriam Diuino ſuo vultui illatam. D. Chryſoſtom. aſſerit hunc miniſtrum Pontificis qui Chriſti maxillam percuſſit fuiſſe Malchum cui ante reſciſſam reſtituerat autem. O virum ingratiſſimum! celebrant ſcriptores prophani nequitiam Popilij tribuni, quem cum Cicero defendiſſet contra Patricium, ipſe idem poſtmodum Ciceronem interfecit quem habuerat ante defenſorem. Lactantius adſtruit quod iam alapam hanc Chriſto infligendam prædixerat Sybilla Erithræa cuius ſententiam dictumque refert D. Auguſtin. *Dabunt Deo alapas manibus inceſtis.* D. Ephrem ait: *Serui*

In c.18. Ioan.

IV. Quis fuerit iſte ſeruus.

Valer. Max. Lib.5 c.3 de ingrat. & contra Appian. Alexand.

*omnes cum liberi efficiuntur, accipiunt alapam, vt mortali libertate potiantur, at ipſe cum ſit omnium liberator iniuſte alapā caditur.* Iuxta hu us conſuetudinis confirmarunt veritatem dandi libertatem ſeruo alapā quam recipiebat, vt ſcribit Iuſtinianus: *In emancipationibus iniurioſa rapiſmata, quandam dari ſolita, quæ ipſe aboleuerit.* Et hoc quod in ſeruitutis liberatione mancipium recipiebat in ſignum conſecutæ libertatis, recepit Chriſtus verus liberator, ac ſi verus fuiſſet ſeruus. Iterum loquitur Diuus Chryſoſtomus: *Exhorreſcat cælum, contremiſcat terra de Chriſti patientia & ſerui impudentia:* quia ſerui temeritas contra Dominum, quem obligabat et oſtenderet quod Dominus eſſet cœli & terræ, in patientia qua ſuffert hanc iniuriam, omnes ſtupore perculit creaturas.

Notauit D. Hieronym. quod dum Pontifex Ananias coram toto concilio præcepit Diuo Paulo colaphum infringi: *Princeps autem Sacerdotum Ananias præcepit adſtantibus ſibi percutere os eius:* quod cum factum eſſet, conuerſus ad eum Paulus ſic ait: *Percutiet te Deus paries dealbate, & tu ſedens iudicas me ſecundum legem, & contra legem iubes me percuti.* D. Paulum ſic alloquitur D. Hieronym. *Vbi eſt illa patientia Saluatoris, qui quaſi agnus ductus ad victimam non aperuit os ſuum? ſed clementer loquitur verberanti. Si male locutus ſum, argue me de malo: ſi autem bene, quid me cædis? Non Apoſtolo detrahimus, ſed gloriam Domini prædicamus, qui in carne paſſus, carnis iniuriam ſuperat & fragilitatem, vt faciam illud quod ipſe commemorat, Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit, reddet illi Dominus in illa die iuſtus Iudex,* quaſi dicat non hunc profecto caſum ut Apoſtoli derogem honori, ſed quo declarem & prædicem Chriſti gloriam, qui tantā patientia tulit patientia iniuriam illam vultui ſuo inflictā Diuino eamq; grauiſſimam: quia non omnibus data eſt ſed nec quidem ita perfecte vt Paulo, tantæ probatio patientiæ. Coram toto conſeſſu iniuſta eſt hæc Saluatori iniuria, & omnes tacuerunt ſuoque eam ſilentio confirmarunt. Solus Chriſtus ſumma reſpondet humilitate: ſi quidem malè locutus fuiſſem, iuſtum fuiſſet vt me conuinceres, & hoc tui fuerat muneris, officium aſſumere Fiſcalis debitaque forma accuſare & poſtquam probaſſes me malè locutum, ad Iudicem ...

claret cui pœnæ reus ſubjiceret: porro ſi bene locutus ſum cur me percutis? Et quamuis paratus eſſet & alteram præbere colapho maxillam, non idcirco omiſit correptionem: ſed corripuit Petrum autem Malcho præſcindentem; nam faciendo & dicendo vulneratum curauit & corripuit vulnerantem. Fuit autem hoc quod hic permittebatur, contrà omnem iuris ordinem, tantam non punire temeritatem, quâ aduerſus Chriſtum prævalebat vir ille nequiſſimus. Veruntamen tantâ contra Chriſtum malitia odioque tabeſcebant illi iudices, vt iniuriam hanc diſſimularint, quam perfidus ille miniſter eorum irrogabat tribunali, ſilent o execrandam adeo obtegentes impudentiam.

*§. 22. Præclarius opus fuit quod conuenire non potuerint teſtimonia teſtium contra Chriſtum productorum, quam quod Deus linguas eorum confuderit, qui Turrim Babel erigere conabantur.*

CEnſebant illi temporis iactatam velle Chriſtum capere in verbis ſuis, vnde totum cogunt concilium ſibi mutuo collocuti, quidnam agerent, & conuenerunt optimum fore medium falſos ſubornare teſtes qui inter ſe conuenirent, vt crimina objicerent illi grauiora, vtque ipſis illum ſuo de his teſtimonio conuincentibus, materiam cauſamque haberent eum morti tradendi ſufficientem. Hæc ſcribunt Euangeliſtæ, quamuis formam taceant quâ teſtes adornarunt, ſed ſat intelligitur promiſſis corruptos fuiſſe & muneribus, quæ tanta fuerunt, vt illis multi ſe rendiderint falſos teſtes, multaque contra Chriſtum teſtimonia falsò protulerint: ſed erant omnia ſibi contradicentia, ita vt in ſubſtantia dictorum ſibimutuo repugnarent. Et ita narrat D. Lucas: *Conuenientia teſtimonia non erant:* quia non conueniebant ſibi in delicto, nec in tempore, nec in loco. Fuitque tanta inconuenientia [illegible] teſtes, vt ſinguli eorum volverint ſuum tantummodo dictum cenſeri veridicum. Ordinem hic notamus cœleſtem, quo non potuerunt vllo modo inter ſe conuenire, quia nullâ via poterat vnquam contra Chriſtum inueniri probatio in materia peccati. potentiam ſuam oſtendit Deus quando ſuperbam illam [illegible] fabricam quam homines in mundi principio aggreſſi ſunt, Turrim illam erigendo Babylonicam cum intentione illam promouendi, vſque ad ſydera: ſed quamuis Deus opus hoc impedierit, confundens linguas eorum eo modo vt alter alterum non intelligeret, permiſit tamen vt vel parum turris hæc in altum aſſurgeret: ſed illa quam teſtes illi falſiloqui à Phariſæis empti, volunt erigere, multò peior eſt priori; quandoquidem hac voluerint ipſi Deo bellum inferre & quidem ſatis crudele, conati probare eum fuiſſe peccatorem: idcirco ſtatim egit Deus vt eorum ſic confunderet Idioma, vt non potuerint lapidem vnum alteri connectere, id eſt vnum teſtimonium alteri, quocirca non opus fuit vt Chriſtus reſponderet, cum illi ipſi propriam teſtarentur perfidiam in ferendis teſtimonijs male conuenientes, atque per hoc pro ipſius Chriſti reſpondentes innocentia. Hic impletur illud Chriſti verbum quod eis dixerit: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Etenim potuere numquam argumentum in forma Chriſto proponere, quo ipſum conſtringerent ad reſponſum. Vah perfidos, attendite quid ante tot annos de vobis dixerit Dauid hoc opus Dei magnificans: *Dicite Deo, quam terribilia ſunt opera tua Domine, in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.* O quàm Diuina ſunt hæc opera, proprijs ipſos conuincere teſtimonijs, & ijs ipſis bonitatis & innocentiæ Chriſti clariſſima producere argumenta, quibus illi poſſent intelligere ipſum verum eſſe Meſſiam ſed cum tanta vidiſſent in Chriſto opera veri Meſſiæ, non cogitant niſi mendacia, non attendunt verum mortuos de tumulo reuocauerit, & aduerſus eum ſubornata quærunt falſaque teſtimonia.

Audit hæc omnia concilij Præſes Caiphas multumque torquetur ex teſtium aperta diſſonantia, & tranquillitate quam Chriſtus vultu præferebat, nec non grauiter confuſus quia nihil illis proficiebat eorum quæ moliebantur: duo tandem venundati vt falſa dicerent proruperunt in medium atque eo modo inter ſe conſpirarunt vt eſſe poſſent teſtes concordes eiuſdem Domini ſententiæ, vnde ambo teſtati ſunt: *Nos audiuimus eum dicentem: poſſum deſtruere templum hoc & poſt triduum* præcientem recurreres, vt per ſententiam de-

I. Dei potentia in turri Babel euertenda.

Ioa. 8, 46.

Pſ. 65, 3.

*reædificabo illud.* Huc vnus eorum protulit. Alter intelligens ex illo verbo *Poſſum* caſum non formari mortis, alia phraſi vſus eſt, dixitque: *Hic dixit: Diſſoluam templum Dei hoc manufactum, & per triduum aliud non manu factum ædificabo.* Quantumuis illi inter ſe conuenerant, cumque illis tertius eſſet diabolus, Diuina tamen decreuit ſapientia vt tempore deponendi in hac causâ inter ſe diſcreparent. Quia certum eſt non idem & vnum eſſe: ſi quis dicat: poſſum malum facere, & malum faciam: quia poſſe mala facere, omnibus conuenit hominibus, quia omnes poſſumus peccare: ſed malum faciam, declarat malæ determinationem voluntatis. Similiter diſcreparunt, quia primus dixit Chriſtum locutũ fuiſſe de templo illo Ieruſalem materiali, quòd poſſet illud iam deſtructum reædificare lapideſque in vnum collectos ad eandem componere fabricam. Alter verò dixit, verum quidem eſſe quòd dixerat, quòd templum illud materiale & hominum manibus extructum eſſet euerſurus, ſed quod tranſacto triduo aliud eſſet erecturus, ſic vt nulla hominum manus huic interueniret ædificationi. Ecce duo hic teſtimonia in ſubſtantia ita diuerſa, & tam parui momenti: licet iam ſecundus conueniret cum primo vel primus cum ſecundo, quia per ſola verba non ſolet aliquis ad mortem damnari, per regulam D. Iacobi: *Qui verbo non offendit, hic perfectus eſt vir:* ille qui tantam conſcientiæ ſuæ gerit curam, vt linguâ ſua non labatur, verbum aliquod proferens inordinatum, hic ſeipſum credere poteſt virum eſſe perfectum: & ita in humanis iudicijs multum attenditur quando viri alicuius dictum excutitur, licet ſit contra fidem & occaſio conſideratur quam habuit ad illud dicendum, quatenus intelligatur, vtrum illud maledictum oriatur ex malitia voluntatis, quia non formantur peccata in lingua, nec in manibus ſed in cordis viſceribus. Et ita locutus Deus de populo Iſrael ſic ait: *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi: ſemper hi errant corde.* Quadraginta annis inter illos verſatus ſum & profectus ab Ægypto vſque ad terram promiſſionis & tandem ſatis euidenter demonſtrarunt defectus ſuos non fuiſſe linguæ leuitates, nec bilis, nec paſſiones choleræ ſed cordis peruerſi molimina. Ita quoque quamuis hi conuenirent quod illa Chriſtus verba dixiſſet: *Telas aranearum texebant.*

II. Verba teſtium expenduntur.

Iacob. 3. 1

Pſ. 94. 10

Et non ſolum hi duo ſibi contradicebant, ſed etiam veritati, quam fideliter ſcribit Diuus Ioannes dixiſſe Chriſtum: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* In hoc dicto Chriſti, parsque poterat eſſe mala, non habetur, quinimo illam Chriſtus Iudæis imponit illis dicendo: *Soluite templum hoc:* & ſibi partem ſumit bonam, nempe eiuſdem reædificationem. Et quamuis videatur quod duæ iſtæ accuſationes Chriſtum cogerent ad reſpondendum & diluendum, nihilominus non reſpondit vel verbum, et quo magna cum ſua pœna contorſit potiſſimum autem Caipham huius auctorem ſtratagematis: quia erat eius intentum grauem Chriſto metum incutere, vt ſic ille ſe ſubmitteret omniaque fateretur de quibus illum accuſabant, & peteret miſericordiam, vt per hoc ipſi victoriam obtinerent, eoſque mundus coleret vt viros qui malum impedierant, quod Chriſtus facere poterat & Chriſtum haberent vt flagitioſum, blaſphemum & ſeditioſum, eumque poſſent ſi vellent in miſericordiam recipiendo, poſtquam illum hominem declaraſſent facinoroſum, in exilium expellere vel carceri tradere perpetuo.

§. 23. *Vt animos miniſtrorum prouocaret ad opprobria quibus Chriſtum in domo Pontificis Caiphæ affecerunt, illum hic vt blaſphemum accuſat, zelumque præferens honoris Dei propria ſcindens veſtimenta. Per hoc finem ſui præſignauit Pontificatus.*

VT Caiphas videt Chriſtum adeo perfectè, vt nihili faceret obiecta, ſpem omnem abiecit illum ſibi ſubijciendi: quocirca de cathedra exiliens furenti ſimilis ſurrexit altaque voce Chriſtum in hæc verba coniurauit: *Adiuro te per Deum viuum vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei benedicti.* Euidenter in his verbis patuit quod Satan qui miſerat in cor Iudæ nefandam illam impietatem quâ Dominum pecunia diſtraheret, etiam hæc verba in cor Caiphæ miſerit, vt talem proponeret Chriſto quæſtionem. Ad huius intelligentiam meminiſſe debemus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hanc primam fuiſſe intentionem diaboli tentantis Chriſtum in deſerto, ſcire vtrum eſſet vel non eſſet filius Dei, & vt hic ipſi tam malè ceſſit, quia illum Chriſtus magno ſui nominis expulerat dedecore, cum non potuiſſet obtinere quod prætendebat, ſemper poſtmodum illum à longè conſpexit non auſus illi appropinquare tanto perculſus metu et virtute quam in Chriſti verbis agnoſcebat: quandoquidem illo ſolo: *Vade Satana*, illum à ſe repuliſſet velut pilam coëllam à brachio ludentis fortiori: & quamuis à longè multum attenderet, numquam tamen intelligere potuit an eſſet filius Dei vel non. Et ſicut cernebat negotium hoc tanti referre, vt medium aſſumpſit auctoritatem Pontificis, quâ in medium produceret huius articuli veritatem: quia verò grauem hoc diabolo moleſtiam inferebat, & vo ubi vt prouerbio dicimus, felis pede foculo educere caſtaneam, adeo ſtultus fuit diabolus, vt eodem vſus fuerit termino, quo ſemel Chriſtum ipſe adiurauerat, vt referunt Diuus Marcus, & D. Lucas, quando illi Chriſtus egreſſum præcepit de corpore viri tot furijs agitati diabolicis, vt talem numquam mundus conſpexerit: quia in montibus nudus veſtibus vitam agebat bruto ſimilis, in ſepulchris cum mortuis dormiebat, in vias prorumpebat factus latro transeuntibus: & cum tanti diabolo referret huius aſſertio veritatis, vtrum eſſet filius Dei an non, obuiam Chriſto occurrit eiuſque pedibus proſtratus hanc illi veritatem profeſſus eſt dicens: *Fili Dei, vt quid veniſti ante tempus torquere nos?* Filium appellat Dei, non quod illum eſſe crederet, aut vellet, ſed vt videret, an illi manus eſſet iniecturus atque ad maiorem diſſimulationem ſic Chriſtum obteſtatur: *Obſecro te, adiuro te per Deum ne me torqueas*. Hoc à te poſco beneficium, quod ſi iudices me tale non mereri quia talis ſum, ſaltem tibi faciendum eſt, quia te per Dei honorem eiuſque S. nominis adiuro, cui par eſt vt omnes debitam ſoluamus reuerentiam, & hoc per illum expoſtulo ne grauiori me cruciatu torqueas, cum ad vltimam damnatus ſim ignis ſcilicet æterni ſententiam, & ſaltem hoc modico tempore me patiaris quod ſupereſt ad diem iudicij, hominibus nocere eo modo quo potuero, nec tu mihi contradicas. Itaque ſicut diabolus vt ſciret & aſſequeretur quod intendebat de Chriſto medium ſumpſit illum adiurare, quia probè nouerat eximiam reuerentiam quâ Dei nomen venerabatur, ita Caiphas vt ex ore eius audiret vtrum eſſet filius Dei, idem medium vſurpauit: ego adiuro te in nomine Dei viui, quandoquidem tu tantopere eius honorem defendas: *Vt dicas nobis ſi tu es Chriſtus filius Dei viui*. Hanc propoſuit interrogationem religioſis pluſque verbis Deum vocando viuum & benedictum, non vt Deo debitum daret honorem ſed vt perfidam ſuam & ſacrilegam celaret iniquitatem. Huic interrogationi reſpondit Chriſtus Patris ſui nomen reueritus profundam ſuam conſeruans humilitatem, atque: *Tu dixiſti. Verumtamen dico vobis &c.* Tu hoc dixiſti: tibi namque vt ſummo Pontifici ex officio competit grauiores exponere veritates ad commune bonum Eccleſiæ, & cum illas dixeris, ſic eſſe oportet: ſicut quia ſummus Pontifex es, rectè in hoc concilio hanc etiam concluſiſti veritatem: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* Quia vero adiuraſti me per nomen Patris mei, nolo in hac mea breuis eſſe reſponſione, ſed aliam tibi humanitatis meæ veritatem exponere: etenim videbitis omnes hunc filium hominis in hac forma humana iudicem viuorum & mortuorum in die iudicij vniuerſalis vltimo. Ioan. c. 11. 50.

Conſiderans ſummus Pontifex multo ſibi ſtetiſſe tempore vnum à Chriſto verbum obtinere, iudicauit expediens ex præfatis verbis materiam aſſumere ſufficientem qua mortis reum eum condemnent, vt autem exaggeraret & cunctis patefaceret hoc Domini reſponſum blaſphemum eſſe, ſcidit veſtimenta ſua vt furibundus: hæc etenim erat frequens ceremonia apud honoris Dei eiuſque legis Zeloſos. David Zelum declaraturus quo vitam Saulis optabat ſuique intimi amici Ionathæ, dum illi triſtia deferuntur per Amalecitem nuntia, ambos in acie mortuos corruiſſe quam contra Philiſtinos inſtruxerant, ilico ſua dirupit veſtimenta. *Apprehendens autem David veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri qui erant cum eo:* Hoc etenim erat ſignum magis vſitatum quo Zelus exprimebatur & quomodo diligeretur id quod iam habebatur vt perditum. Vim intulit Amnon Thamar ſorori ſuæ; cum illa tantæ

III. Sciſſio veſtimentorum quid ſignificet.

2. Reg. 1. 11.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

non potuiſſet illatæ ſibi reſiſtere violentiæ. Vt ſe à fratre ſic turpiter violatam ingemuit perditi honoris zeloſa quatenus fratri ſuo Abſalon declararet iuſtum talis iacturæ dolorem, cubiculum ſuum triſtis aſcendit, ſyderea vocibus implens, tunicam ſcidit talarem quâ Regiæ virgines induebantur: *Quæ aſpergens cinerem capiti ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, ibat ingrediens & clamans.* Talari itaque ſciſſa tunica zelum reſtabatur quo feruebat honoris ſui, qui tam manifeſtum illi mœrorem inferebat, ſicut erat ille quem patiebatur quia eo modo hunc ſibi dolebat ablatum. Idem patet legenti 4. lib. Reg. & in Act bus Apoſt.

2 Reg. c. 13. 19.

Itaque ſcindens Caiphas veſtimenta ſua zelum oſtendit quo ſibi cor feruebat Diuini honoris æmulator, qui illâ lædebatur blaſphemia, quam ipſe vt talem condemnare voluit ex verbis illis quibus illi Saluator reſpondit: vnde ſic ait: *Audiſtis blaſphemiam?* Dilacera maledicte Pontifex veſtimenta tua Pontificalia: hac etenim præſagis actione prope occaſum eſſe tuum Pontificatum, expendit Origenes magnam habuiſſe Caipham rationem ſcindendi veſtimenta ſua ex conſuetudine quâ illa ſibi dilacerabat qui ad vitæ ſuæ tendebat occaſum: *Quaſi iam morti ſe tradens homo.* Hæc exemplo diſcimus in Saul, Dauid, & Ezechia: vnde iuſtum fuit vt vltimus legis Iudæorum Pontifex ſuas dirumperet in partes; quia iam in illo finem accipiebat dignitas ſumma pontificatus: *Scidit vltimus* (ſic Origenes) *in lege Iudæorum Princeps ſacerdotum veſtes, cum aduerſus Dominum blaſphemiam quæreret, ex quo Iudæorum ſacerdotium, & omnis Iudæorum legis ritus conſciſſus & diſtractus penitus interijt.* Tuas diſtrahe veſtes: quia certum hoc eſt diruptionis tui Principatus indicium; etenim tunicæ diruptio Regni denotat translationem, vt conſtat ex lib. 3. Reg. vbi Regni illa mutatio in tunicæ ruptura prænotabatur: *Ego ſcindam Regnum tuum.* Et quandoquidem ſummus Iudæorum Pontificatus morte Chriſti terminandus erat, & hæc adeo erat vicina, declaretur in conſciſſione per Caipham veſtium Pontificalium.

Cap. 2. & 3.
Cap. 14.
IV.
Quale fuerit hoc proſticon
Tract. 5. in Ioh. 10. 2. pag. 55.
Cap. 11. & 14.
1. Reg. 15. & 28.

Etiam conſuetudo viguit quâ non tolerabilis notabatur dolor per conſciſſionem veſtimentorum; ſic legimus in libro Numeri & alijs SS. Scripturæ locis. Itaque ſicut gloria Dei quid eſt præ cæteris optandum & procurandum, in blaſphemia quæ huic immediate opponitur, maximè deteſtanda eſt, vt crimen omnium grauiſsimum. Intellexit Rex piiſſimus Ezechias blaſphemiam, quam Rabſaces protulerat & continuò contra Deum petulanter euomebat, atque in non leuis ſignum triſtitiæ quâ ex tanta delicti grauitate premebatur, veſtimenta ſua dilacerauit: *Quæ cum audiſſet Ezechias Rex, ſcidit veſtimenta ſua*: nam ſicut erat crimen grauiſsimum quod honori diuino derogabat, voluit vt ſummi doloris indicio, veſtium ſcilicet diſciſſione, declararetur. Vnde Caiphas populo manifeſtaturus ſe in Chriſto crimen notaſſe ſummæ grauitatis, & honoris Dei ſummopere derogatiuum, illum voluit vt blaſphemum diffamare, dicendo: *Audiſtis blaſphemiam?* et veſtium ſuarum diffractione. Nunc igitur propoſiti delictorum eius grauitate colligantur à ſingulis ſua ſuffragia, ſuamque dicant liberè ſententiam. Omnes in Pontificis declarationem, conueniunt & conſpirant determinationem, rem ſic ſe habere, & à Chriſto prolatam blaſphemiam, atque ex conſequenti, quandoquidem lex præcipiat blaſphemum occidi, vna cuncti voce conclamarunt; *Reus eſt mortis.* Hoc ſummum omnium fuit quod agere potuerunt, illum nempe declarare vt hominem morti obnoxium: quia ad ſententiæ executionem nulla pollebant authoritate, & vltimam Pilatus proclamare nitebatur.

Pronuntiatâ hac ſententia tamquam in blaſphemum iuſtitiæ miniſtri, Chriſtum arripiunt, quem ligatum tenebant, & cum exequi non poſſent ferale mortis decretum, tam atrocibus agreſsi ſunt illum cruciatibus, vt grauioribus illum pœnis quam propria morte conuulſerint: *Tunc viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes & exſpuentes in faciem eius. & velauerunt eum, & colaphis eum ceciderunt.* Hæc ſpectat diuus Cyprianus, cæteraſq; actiones probroſas & ignominioſas quibus Chriſtum toto Paſsionis ſuæ decurſu examinarunt, & totus attonitus taliqueſtupefactus patientiâ, verba profert hæc admiranda: *Priuſquam ad crudelitatem necis, & effuſionem ſanguinis veniretur, quæ conuitiorum probra patienter audita quæ contumeliarum ludibria*

*ludibria et inſultantium ſputamina patienter ſuſciperet, qui ſputo ſuo cæci oculos paulo ante ſanaſſet, & in cuius nomine nunc à ſeruis eius cabulus cum Angelis ſuis flagellatur, flagella ipſe patitur, coronaretur ſpinis, qui martyres ſuos coronat æternis palmis in faciem verberatur qui palmas veras vincentibus tribuit, ſpoliaretur veſte terrena, qui indumento immortalitatis cæteros veſtit, cibaretur felle, qui cibum cœleſtem dedit aceto potaretur, qui ſalutare poculum propinauit.* Et ſaltem in faciem illam diuinam expuerunt, quam toties Dauid a Deo poſtulauerat ſibi oſtendi: quia in eius conſpectu ſecuram perſuadebat ſibi ſaluationem: *Oſtende faciem tuam & ſalui erimus.*

Mos increbuerat apud Iudæos ſummæ ignominiæ eſſe ignominiæ quis alteri in faciem expuerit: ut indicatur libro Numeri: *Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi.* Loquitur de ſorore Moyſi Maria, pro qua Deum deprecabatur, quatenus illam dignaretur à lepra emundare, quâ illam punierat, quod frater ſuus Aaron indicabat cunctis fratribus ſuis maximo eſſe dedecori ſororem ſuam tam fœdâ conſpergi lepra: *Obſecro Domine mi,* ſic Moyſi Aaron, *Ne imponas nobis hoc peccatum:* atque cunctos ab hac eripe et ignominia: *Clamauit Moyſes ad Dominum dicens: Deus obſecro ſana eam.* Cui ſic Deus an non grauior fuiſſet iniuria ſi pater illi in faciem expuiſſet? Nam tanta affecta opprobrio ſeptiduo ſaltem ab hominum debuiſſet conſortio ſeparari. In Deuteronomio præcepit Deus, vt ille qui noluerit fratris ſui defuncti abſque liberis ſibi aſſumere vxorem, hoc ignominiæ ſupplicio plecteretur: *Accedet mulier ad eum coram ſenioribus, & ſpuet in faciem illius, & dicet: ſic fit homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Itaque vt grauiſſimam Chriſto iniuriam inferrent quam ſe poſſe credebant, in faciem eius expuerunt, & continuo velo illam obtexerunt ſordidiſſimo, quâ ſic contecta, pugnis illum non ferenda libertate contuderunt. Quia vero vultus ille diuinus, ſingulari Spiritus Sancti formatus operâ in Sanctiſſimæ Mariæ Virginis viſceribus, maieſtatem præferebat adeo illuſtrem, vt illi eſſet velut ſentum, eo modo vt intuentium oculi, quatenus illum cominus fixerarent, turbarentur & obnubilarentur, in tantum vt proprius Chriſti conſpectus, quo tempore illum feriebant, illis eſſet moleſtus, etenim ipſa natura ſuum abhorret auctorem terræ & creatorem: inde diabolus hoc adinuenit medium faciem eius obuelandi, tantus enim ex ea ſplendor eluxit vt oculos excæcaret intuentium: quatenus omnem caueret metum & moleſtiam ex eius ortam aſpectu. Si Moyſes ex colloquio Dei reuerſus faciem ſuam velo contexit quia tanto radiabat ſplendore vt intuentium oculos obtenebraret: quid dicendum nobis de fulgore ex facie Chriſti diu manante? hanc igitur faciem ſaluis ſputiſque contegunt, cui poſtmodum & velum ſuperimiciunt: quaſi dicant Moyſi huic vultui rutilanti adeo ſplendido velum imponamus ne noſtrum obfuſcet intuitum. Alapas illi impingebant, opprobrijs irritabant & ignominijs, cumque Chriſtum vocabant irriſione. Horrenda ſunt hæc ſi viro communi irrogentur, quanto grauiora ſunt, dum in his nec ipſi Deo parcitur. In his omnibus impletur illud Iob oraculum: *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobantes percuſſerunt maxillam meam Satiati ſunt pœnis meis.* Iob. 6.11. Similiter & illud Iſaiæ: *Corpus meum dedi percutientibus & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me.* Iſai.c.50. 6.

§. 24. *Serio Pilatus Chriſti cauſam indagauit, quatenus conſtaret quod nullam ipſe morti ſuæ dediſſet, ſed vt per eam Regnum fundaret omnino cœleſte, ſicut lamina præfigurauit hyacinthina in Mytra ſummi Sacerdotis.*

SVmpta iam mortis Chriſti determinatione, cubitum diſceſſerunt Scribæ & Phariſæi & Pontifex Caiphas, relicto Chriſto inter manus miniſtrorum. Euangeliſtæ non tradunt quid factum Chriſto ſit ab eo momento vſque auroram, ſed communis eſt ſenſus omnium quod Caiphas cœtuſque conſilium illum miniſtris tradiderint ſeruandum adornum ſolis, & caute cuſtodiendum ne manibus eorum elaberetur. Euangelium non ſpecificat quid cum illo egerint, ſed ipſe 56

Chriſtus hoc ore Dauidico deſignauit: 7. *Poſuerunt me in lacu inferiori in, tenebroſis & in vmbra mortis.* Hoc integro Pſalmo vt opinor, circumſtantias declarat quæ huic interuenerunt actioni, Vt me ſibi ſecurum redderent, in lacum iniecerunt obſcurum atro vt vmbram & imaginem mortis eſſe dixiſſes. Sic hoc interpretor; quod ſicut Caiphas Pontifex erat, ſuum habebat carcerem vt modo Epiſcopi in Palatijs ſuis, atque pro malefactoribus magis facinoroſis profundum ſeruabat ergaſtulum ſolitarium & tenebroſum: huic Chriſtum iniectum ſannis & opprobrijs irritabant: hoc enim 7. 8. verbum illud ſignificat: *Super me confirmatus eſt furor tuus.* Varijs illum iniurijs affligebant, & vndis ſuperuenientibus demergebant quod grauiùs non potuit exponere quàm dicēdo: *Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.* Hæc quæ tranſacta ſunt, conueniens non eſt vt ita ante diem iudicij nobis innoteſcant; hoc enim eſt: *Tu ſcis improperium meum,* ſolus Deus ipſe nouit blaſphemias & maledicta, quæ in illum inſtigante diabolo congerebant, quibus laceſſitus ſe ſubmitteret.

*Mane autem facto &c.* Coacto denuo concilio, cunctiſque conuenientibus ſacerdotibus & Conſiliarijs vnius eiuſdemque ſententiæ præcipitur vt coram eis Chriſtus ſiſtatur verum quod nocte dixerat ratificaret: quocirca illum interrogat: *Si tu es Chriſtus dic nobis palam,* quibus Dominus reſpondet: *Si vobis dixero, non credetis. ſi autem interrogauero, non reſpondebitis neque dimittetis.* Exiguum proferret fructum ſi vobis hoc dixero, cum aures occluſeritis ne fidem adhibeatis. Quod ſi & vobis nonnulla requiſiero Sanctæ ſcripturæ teſtimonia veritatis aſſertiua, quam adſtruo mihi ad rem non reſpondebitis, nec me manu mittetis: vnde quid quid modo dixero nullum pariet fructum: ſed in illum ſeruatur diem, quo videbitis filium hominis in nubibus cœli cum maieſtate magna & poteſtate ſedentem in throno ad dextram Patris, millenis Angelorum ſtipatum legionibus iudicem viuorum & mortuorum in die iudicij omnium vniuerſalis: quibus ex verbis hanc elicuerunt conſequentiam, dixeruntque: *Tu es ergo filius Dei,* q. d. ex dictis tuis colligitur te eſſe filium Dei: quandoquidem te ſeſſurum affirmes ad dextram Dei iuxta illud Pſalterij: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Hanc illis Chriſtus conceſſit conſequentiam: *Vos dicitis, quia ego ſum,* Auditâ confeſſionis Chriſti ratificatione, ad conſilium capiendum ſecedentes, ſibi perſuaſerunt cauſam nunc ad ſententiæ pronuntiationem optimè diſpoſitam: *Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audiuimus ex ore eius.* Et iterum ſuffragantur eum eſſe reum mortis, Vnde datâ hac ſententiâ illam approbari volunt à Præſide Pontio Pilato quàm iubet executioni mandari. Et brachium auxilij ſeculare quo puniat hominem iuſtè coram iudicum auctoritate condemnatum, prætendentes ne Pilatus proceſſum hunc diſcuſſioni ſubijceret, ſed illis fidens eum contrario nigro mortis calculo damnaret.

His intererat Iudas: ut enim eum Chriſtus appellauerat amicum, quantum conijcio verbum hoc cordi eius inſculpſerat. Et ſicut ex vna parte viderat ſibi ab illo opera præſtita fuiſſe amicitiæ, atque ex altera tantæ proditionis eum conſcientia mordere, qualis illa erat quàm contra Dominum commiſerat, & eius exſpectabat libertatem, vel quòd illis de manibus effugeret, meminit quod multos ferret modos recuperandi denarios viginti, non tamen vendendo magiſtrum ſuum, & agere poterat id quod Giezi diſcipulus Eliſæi qui falſo nuntio Domini ſui abijt petiturus à Naaman Syro tunicas & veſtimenta, & ita Iudas poſſet alio nuntio falſo que medio conſequi à Lazaro, Magdalena, Simone Leproſo, vel Zacchæo aliquod lucrum auaritiæ ſuæ ſubſidium: atque ea mota intentione noluit de conſpectu Domini ſe ſubtrahere, donec vltimum rei ſucceſſum cognouiſſet. Verum cum rem vidit eo promotam, vt iam de vita eius proclamatum eſſet: *Videns quod damnatus eſſet &c,* laqueo ſe *ſuſpendit:* ſpes illi defecit. Principes autem ſacerdotum, quamuis enim multi illorum cum Chriſto ad Pilatum acceſſiſſent illum accuſaturi cauſamque ſuam propoſituri, alij tamen in templum ſe receperunt viperæ Religioſi, Illis igitur locutus eſt Iudas vt pactum cum illis initum reſcinderet acceptamque pecuniam redonaret: *Pœnitentia ſeductus, retulit triginta argenteos Principibus ſacerdotum & Senioribus.* Studuit diabolus facto

diſſoluere eo medio quo cœperat: etenim Paſſionem Chriſti per Iudæ contractum inchoauerat, & eandem conatur impedire per reuocationem contractus quam Iudas expoſtulabat. Porro reſponderunt illi: *Quid ad nos tu videris?* q.d. *Tu vidiſſes*, iam tempus hæc non patitur, cum negotium ſit adeo promotum, tu vidiſſes quid nobiſcum ageres, quid nobis refert quod tu inconſtans à contractu reſilias? vt autem vidit nullum ſupereſſe remedium *Abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Hic multa nobis occurrunt conſideranda de quibus fuſè tractat Ianſenius. D. Petrus ait: *Suſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt viſcera eius.* Porro ſiſtamus in hac morte infortunata Iudæ, in qua prædicta fuit populi ruina Iudaici; quandoquidem in quolibet exercitu mors ducis ab inimicis inflicta cladis exercitus certiſſimum ſit argumentum: vt clarè patet in multis hiſtorijs legis antiquæ communium autem in morte Saul Abſalon, & Holofernis: quinimo hoc ipſum declarat Propheta dum ait: *Percutiam paſtorem & diſpergentur oues gregis.* Si Iudas factus ſit totius huius dux exercitus Iudæorum, & diaboli moueatur motus inductione qui maximus erat inimicus quem habuerunt ſuæ intentioni ad mortem Chriſti, eo inſtanti quo damna cognouit ex eius morte obuentura, vnde tantopere laborauit obicem illi ponere eamque vt potuit, impedire: palam eſt quod in hac morte huius ſui capitanei vt certa haberi poteſt totius huius ruina Reipublicæ.

Prægrandi igitur tumultu ac ſtrepitu magna multitudine tam gentilium quam Iudæorum Chriſtum traxerunt ad Prætorium Pilati, ad domum eius acceſſerunt, vt autem tunc celebritas imminebat Paſchalis noluerunt ſe contaminare ingredientes Prætorium Pilati vbi tribunal ſuum celebrabat, tamquam gubernator & dux generalis gentis Iudæorum. eo modo quo nunc in Hiſpania proreges in domibus ſuis loca habent electa, in quibus magna præſident maieſtate vt indicent vltimæ, Regum ſuorum & Imperatorũ præferentes auctoritatem. Iudicabant autem Sacerdotes ſe fore immundos ſi locum illum tribunalis gentilium intrarent eo die quo feſtum Paſchatis primarium celebrabant, & contaminarentur ne comedere liceret eis panem azymum, quem Deus illis diebus comedendum præceperat; vnde foris remanere decreuerunt. Vt autem tanta conueniret multitudo vt tumultus nimis excreſceret, renunciatum eſt Pilato turbam præ foribus ſtare, vitumque adduci reum magnâ ſeruatum diligentia: & quamuis tamquam gubernator auctoritate polleret præcipiendi illis etiam inuitis vt locum ingrederentur, vbi pro more habebat litibus cauſiſque intendere, voluit tamen vrbanus eſſe illiſque cedere quo friuolas ſuas poſſent implere ceremonias: vnde foras ad eos egreſſus, ſic illos interrogat: *Quam accuſationem affertis aduerſus hominem hunc?* Nemo dubitat quin Pilatus noſceret Chriſtũ; nihilominus dicit: *Hominem hunc* propter auctoritatem quam vt Iudex cunctis volebat exhibere; reſpondent illi Sacerdotes & Principes: *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum.* Volebant ipſi vt crederet tam quam rem certam & planam, quòd illum producere ſufficeret, quo declararetur mortis reus, eorumque ſententiam vt bonam ſubſignaret. Huc venimus & virum hunc adduximus, viri ſumus, qui huic nos non ingereremus negotio, vt nos ipſi die adeo celebri qualis hic eſt, illum traheremus, niſi intelligeremus tantum eſſe malefactorem, tantumque rempublicam incurrere periculum, vt ſi huic ſtatim non obuiaretur, illum puniendo, cuncta peſſundarentur.

Supra modum timebant ne Pilatus cauſam examini ſubijceret, vnde voluiſſent illi vt ex illis portibus è quibus ſpectabat, eorum fidens proceſſui & cauſæ confirmans examen, illum morti adiudicaret. Verumtamen Spiritus S. qui huic negotio tanti momenti manum appoſuerat, licet decreuerat vt Chriſtus in cruce moreretur, etiam ordinauerat, vt primo eius probaretur innocentia & diuinitas eo modo, vt eam gentiles, imo ipſi lapides & elementa cognoſcerent: vnde non potuerunt illi impedire ne Pilatus cauſam Chriſti diſcuteret. Cognouerunt igitur expediens tunc eſſe illum datâ operâ accuſare quatenus illum Pilatus condemnaret. Quocirca ſic proponunt: *Hunc inuenimus ſubuertentẽ gentem noſtram & prohibentem tributa dari Cæſari & dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.* Hanc proponunt accuſationem, delicta quo poſſint al-

VI Iudæ accuſ. nota

altiùs aggrauantes. Primò dicunt *Hunc inuenimus ſubuertentem gentem noſtram*, ita vt populus commotione non minima perturbaretur. Notandum illud *Inuenimus* q. d. diuino adiectibimus beneficio tale nos damnum comperiſſe ab homine hoc reipublicæ illatum. Deinde ſecundum magis extollit primum: ex certa nobis conſtat ſcientia quòd Imperatori Romano vetauerit ſolui vectigalia, quæ tantâ nos diligentia ſoluimus. Tertiò: ſe Regem proclamauit atque vt talis legiones conſcripſit populi, quas ſæpe ſecum produxit in campū nobis rem ſpectantibus. Hoc iudicarunt illi ſufficiens quo Pilati pectus aduerſus Chriſtum irritaret.

In verbis illis inſignem ſuam teſtati ſunt malitiam, cum tam euidens fuerit, quod proferebant, mendacium: quinimo mandauerat expreſsè ſoluendum eſſe cenſum Cæſari, dum interrogatus ſic reſpondit: *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*. In reliquis etiam mentiebantur: quia tantum aberat vt Rex eſſet temporalis, vel dominium aliquod præ ſe ferret temporale quo ſuper omnia fulgebat: vt etiam ne Rex a plebe crearetur, fugam inierit, quando Regiam illi præſtare voluerunt adorationem, eo die quo quinque panibus quinque millia ſaturauit hominum. Deinde ipſo die Palmarū humilis ingreſſus eſt inſidens aſino, vt vilitas animalis, cui inſidebat, declararet quàm longè abeſſet, qui talis ingrediebatur, ab vſurpando ſibi nomen Regium; ſed arbitrati ſunt illi quod Pilatus has omnes cauſas vlterius non ventilaret. Non ſic tamen contigit: etenim Chriſtum ad interius vocauit prætorium a quo ſic percunctatur: *Tu es Rex Iudæorum?* Quem tanto Iudæi nunc tempore venturum prædicabantur. Non aliud inquiſiuit, hoc etenim vrgebat negotium inſtantius, & Pilati tangebat propius officium eius inſtruere veſtigationem. Reſpondet illi Dominus: *A temetipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me?* Vel dicis hoc quia ſic tibi perſuades, vel alij tibi ſuggeſſerunt? *Regnum meum non hinc.* Quod confirmat, quia domus eſſet mihi regalis, famuli, exercitus peditum & equitum, multa turba cuſtodiū & comitatus Principum illuſtrium: nihil horum habeo, niſi diſcipulos omnium indigos & claſſis meæ frequentatores, in qua nihil aliud auditur, nihil docetur aliud quam integra omnium temporalium facienda renunciatio, turba mè ſequitur ſimplex & ab omnibus deſpecta: an hoc eſt eſſe Regem qui ſuam in terra fundat maieſtatem? Clarum eſt quod non.

Matt. 22. 21.

V. Quale uerit Chriſti regnum.

D. Cyrill. ornatum expendit capitis ſummi Sacerdotis Aaron quem Deus Moyſi præcepit faciendum: *Facies laminam auream puriſ. & cælabis in ea cælatura ſigili: Sanctum Domini, & impones illud in hyacintho vitta, & erit ſupra mitram &c. & erit in fronte Aaron perpetuò.* Voluit vt mitra ſummi Sacerdotis fieret ex Hyacintho, quatenus per illam ſcire mus, inquit præfatus Doctor, mitram ſummi Sacerdotis Chriſti componendam ex Hyacintho: *Intellige iam, quomodo mitram ex hyacintho habuerit Chriſtus*, Quia Regnum Chriſti præclarum non oriundum erat de terra nec de rebus terrenis, ſed de cœlis, idcirco voluit vt mitra ſua, quâ deſignatur Regnum, fit ex hyacinto, qui cœlum repræſentat. Eius verba profero: *Cui præclarum Regni iuſſit inſigne, lamina inquam aurea, vniuerſorum namque Dominus eſt, atque Rex Chriſtus, & ſecundum naturam, & ſecundum participationem, nam cum Deus eſſet per naturam exinaniuit ſemetipſum, & formam ſerui accepit, Regnumque &c. eſt autem hyacinthus cœli ſignum.* Recordare *igitur Chriſti dicentis: Regnum meum non eſt de hoc mundo: neque enim Chriſtus Rex terrenus ſed cœleſtis eſt, vniuerſamque creaturam ſub pedibus habet*. Ex hac Chriſti reſponſione Pilatus hanc formauit conſequentiam: *Ergo Rex es tu?* Annuit Chriſtus dicendo: *tu dicis*, Phraſi loquendi Chriſto propria: *Ego in hoc natus ſum, vt teſtimonium perhibeam veritati*. Ego in ipſa natus ſum veritate, ego veritas ſum ab æterno à Patre meo genitus, ego veni in mundum fautor veritatis, ego protector, & pro ea moriturus, & omnis qui naſcitur ex veritate, audit vocem meam, ſicut cum illis ante dixerat: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Vt vidit Pilatus Chriſtum ſic veritatem tantopere ad ſui aſſumere defenſionem, quæſiuit: *Quid eſt veritas?* Sed reſponſum non expectauit, in quo oſtendit potentioribus huius mundi & tyrannis præter veritatem nihil grauius, nihil eſſe moleſtius. Quia cum omnes magnates ordinariè ſint iniuſti multaſque committant violentias, horrent maximoperè veritatem: & quamuis illam

illam noſſe deſiderent, non tamen vellent illam ſibi in faciem propon.: ſicut omnes luce delectamur ſolis, ſed qui eius in oculis ſuis velit reuerberationem, ſcio neminem. Hoc ipſe Chriſtus ait: *Qui male agit, odit lucem.* Hic oculis laborabat adeo lippis vt lampadem in templo lucentem nequiret intueri: quocirca vt eam intueretur, diſtulit donec extingueretur. Hoc dicito de potentioribus. Audire veritatem, quia per ipſam damnum publicè notis eorum infertur iniuſtitijs, non ſuſtinent, niſi debilem & penè extinctam: quocirca Pilatus illam ita deſiderans, Chriſti non expectat reſponſum licet eum de hac interrogaſſet.

*§. 25. In omnibus tribunalibus Caiphæ, Pilati & Herodis, ad quæ Deus Chriſtum trahi voluit, eius declaratur innocentia, vt patebit in eorum ſingulis euentibus.*

D. Matth. notat quod in omnibus criminationibus coram Pilato à Sacerdotibus & Pontificibus Chriſto obiectis, nullum ipſe reſponſum dederit: *Et cum accuſaretur à Principibus Sacerdotum & Senioribus, nihil reſpondit.* Similiter dum ait Pilatus; *Non audis, quanta aduerſum te dicunt teſtimonia?* Altiſſimum ſeruans ſilentium, *Et non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præſes vehementer.* Tantum admiratus eſt Pilatus ſilentium in Domino, tantis tamen accuſationibus oppreſſo. Hæret D. Auguſtin. in hoc ſilentio, eiuſque hanc profert rationem: *Quia defenſione non egebat, nec timebat vinci. Ambiunt defendi qui timent vinci:* atque ad huius rationis confirmationem hanc mouet quæſtionem: *Mirum ſit fratres, quod arguatur Saluator & tacet. Taciturnitas enim negat quod obijcitur, tum non vult reſpondere quod quæritur.* Et reſpondit S. Doctor ille qui in ſui defenſionem reſpondet, hoc agit, quia timet vinci: porro Chriſtus ideo potius tacet vt vincat: non reſpondet quia victoria conſiſtebat in eo quod iudicaretur tanquam malus: *Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Vt autem velut talis iudicaretur, ſilentio opus erat non ſatisfactio requirebatur. Etiam alteram idem Sanctus addit rationem, nempe hanc: *Non eget lingua reſpondente, qui habet innocentiam patentem, tanquam quam Iudex confitetur dicens: innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.* Silet Chriſtus quia ipſo ſilente loquitur iudex: tantâ namque præfulget innocentia, vt etiam non loquente Domino, ea iudici conſtet apertiſſimè: *Melior eſt igitur cauſa quæ non defenditur, & probatur: plenior iuſtitia quæ non verbis aſſtruitur, ſed veritate fulcitur.*

Pro huius confirmatione factum expendit Suſannæ, quæ & ipſa ſimiliter accuſata obmutuit: attamen caſtitas eius & vitæ ſanctimonia pro illa reſponderunt: *Suſanna tacuit, & vicit inimicos ſuos, pro qua caſtitas loquitur:* et aduertit acutè D. Auguſt. à Daniele & Pilato eadem fuiſſe verba dicta, dicit Daniel: *Mundus ſum à ſanguine huius:* & exclamat Pilatus: *Mundus ſum à ſanguine iuſti huius.* Porro ſiſtendum in differentia: nam hæc cum dixiſſet Daniel: *Peccantis populi reuocauit errorem,* ſed Pilatus *auxit potius furorem:* & item, quod *eadem ſententia abſoluitur pudicitia, quâ eſt & abſoluta iuſtitia.* Quantum conijcio voluit illis Deus ad memoriam reuocare Suſannæ facinus: quatenus ſicut illi audiendo Danielem à propoſito deſtiterunt, & hi pariter Præſidem audiendo deſiſterent. Audite D. Auguſtin. *Sed Daniel melius quam Pilatus: ille enim pudicum ſanguinem confitetur & tradit. Quid enim prodeſt teſtimonium perhibuiſſe innocentiæ, & velut reum adduxiſſe nequitiæ, niſi quod grauius peccatum eſt vnum eundemque & pronuntiare iuſtum, & tradere criminoſis? Ipſe enim iniquitatis ſuæ teſtis eſt, qui ore abſoluit, & corde condemnat. Lauerit licet manus Pilatus, tamen ſua facta non diluit, quamuis abſtergere ſe putauerit iuſti ſanguinem de ſuis membris, eodem tamen ſanguine mens eius tenetur infecta: ipſe enim occidit Chriſtum, qui eum tradidit occidendum. Daniel ergo melius quam Pilatus: ille peccantis populi reuocauit errorem: hic autem furentis Synagogæ ſacrilegium confirmauit &c.* Quæ iniquitas, ſi Suſannam declaratam innocentem, tamen damnarent, poteſt in mundo grauior inueniri? Ecce cur Chriſtus ad iudices rapiatur, vt nimirum eius probetur & confirmetur morum innocentia, atque hinc non tolerandа pateat iniquitas tam iudicis eum condemnantis poſt teſtatam eius innocentiam, quam furentis populi Sacerdotum & Prin-

II. Suſanna ſilétio ſe defendit.

Dan. 13

D. Aug.

Principum, qui poſtulant, inſtant & clamoribus vrgent vt condemnetur: quatenus eius cauſa liquidò appareat non verbis ſuis, nec enim reſpondit, ſed tali ſuæ integritatis euidentia, vt ipſe iudex eam propalam pronuntiet: nihilominus declaratione perſiſtit, & eam numquam reuocat, imò ſuper eam mortis cadit ſententia quâ condemnatur.

Prodit Pilatus cum Chriſto ex prætorio, & publicè pronuntiat quòd veridicè cognouerat in cauſa Saluatoris: *Ego nullam inuenio in eo cauſam* qua morti tanquam reum adiudicem. Iudicarunt illi Pilatum vacillare, quem idcirco accuſationibus ſuis fortiùs corroborant, cum videret autem Chriſtum immotum taciturnum admiratus eſt vehementer: ſed cum tam horrenda eſſent illa quæ viri deponebant tanta conſpicui auctoritate, nempe Sacerdotes, Doctores, & Principes, ipſe tamen vt mutus ſileret, cœpit cognoſcere in Chriſto aliquid altius, præter id quod videbatur exterius, abſconditum latere: quia ex reſponſis eius colligebat virum eum eſſe ratione præditum & intellectu, quem vt mundus ſequebatur, ita Principes perſequebantur. Adueniunt illi Pilatum quoad condemnationem, quam illi inſtanter vrgebant contra Chriſtum, quærere diuerticula: quocirca denuo voces attollunt, exclamando: *Commouit populum incipiens à Galilæa.*

III. Chriſtus remittitur ad Herodē.

Vt audiuit Pilatus Galilæam, hoc ſibi aſſumpſit vt ſe ab hoc negotio eximeret, proindeque remiſit illum ad Herodem: etenim ſub eius ditione erat Galilæa. Coram Herode ſiſtitur, qui vana ductus curioſitate prodigium aliquod conſpiciendi circa multa quæſtiones obijcit illi varias, ad quarum nullam Dominus reſpondit: *Interrogabat autem eum multis ſermonibus: at ipſe nihil reſpondebat.*

IV. Verbi Dei priuatio graue eſt ſupplicium.

Supplicium hic attendo peccatis perfidi Regis condignum atrocioribus, quo Diuinum verbum ſuum Dominus illi denegat: nullum etenim grauius peccatori ſupplicium, quam ſi non habeat à quo reprehendatur, ſi prædicator illi tollatur, & prudens aſtimatur confeſſarius, non vulgare profectò eſt hoc ſupplicium.

Quod Deus ita declarauit, quando horrendum indicans ſupplicium quo populum ſuum plecteret ita propoſuit apud Iſaiam in figura illius vineæ: *Mandabo nubibus cœli ne pluant ſuper eam imbrem quia tempus malum eſt.* (Iſa. 5. 6.) Nubes cœli prædicatores ſunt Euangelij, aqua quam effundunt, eorum eſt doctrina, hac rigant & fœcundant Eccleſiam virtutibus, meritis, & multitudine Sanctorum: quando peccatores ad talem accedunt miſeriarum ſtatum, vt illis prædicatorum voces nihil proficiant, quatenus nuntium remittant vitæ ſuæ flagitijs, grauiſſimum hoc eſt ſupplicium, ſi tollatur ab eis aqua verbi Dei, prædicatores intelligo, ne ſimilibus prædicent, ne moneant, ne reprehendant. Herodes in tam infauſtum lapſus erat ſtatum ex innumeris quibus Deum prouocabat ſceleribus, vt nihil in eo effecerint feruentes præcurſoris & Baptiſtæ voces: *Non licet tibi.* Quid hic? illi vitam abſtulit a quo vitam recipiebat: igitur in ſignum tantorum criminum animaduerſionem Deus [illegible] illi, Chriſtus verbum abſtulit: eum idcirco non reſpondit ei ad illum verbum: vnde illum Herodes in eo cauſam mortis inueniens, vt ſtultum deridet & Pilato remiſit: *Spreuit eum, & illuſit indutum veſte alba.* Quid hoc, an veſtis alba ſignum eſt amentium? Non eſt: imo potius Principem refert populumque nobilem. Apud Romanos ambientes dignitates primarias albâ tunica præfulgebant & dicebantur candidati. Qui forſitan non male dixerit hac de cauſa à Tertulliano colorem hunc album attribui martyribus, quibus communiter ob ſanguinis effuſionem [illegible] aſſignamus: quinimo canit Diuus Auguſtinus: *Te martyrum candidatus laudat exercitus.* Hebræis color hic erat primarius vt conſtat ex Diuo Iacobo: *Si introierit vir, aureum habens annulum in veſte candida.* Signabat igitur hæc alba tunica dignitatem, viros in [illegible] primarios, & Principatum Regnumque affectantes. Hinc ſequitur quòd baptizatis alba veſtis imponatur (vt dixit Diuus Dionyſius) quâ ſignificetur in baptiſmo veterem immunditiam in præſentem mutari pulchritudinem: *Quod fuerat turpe, componitur, & quod ſine ſpecie, formæ gratiam ſumit, ac lucenti [illegible] fulgore, vadit prorſus illuſtre.* Iam nouas aggreditur prætenſiones, iam vitam deſerit antiquam, iam animos induit generoſos: & ſicut dicit D. Auguſti. recenter baptizatis hic verſus accinebatur ex Terentio: *Nunc hic dies aliam vitam affert alios mores poſtulat:* quod con[illegible] Apoſtoli: *In nouitate vitæ ambulemus.* In hic [illegible]

igi-

igitur contemptus fuit & irriſio Herodis, quod Chriſtum veſte induit hominis primarij, illumque vt fatuum eſibilauit, ſicque illuſum remiſit ad Pilatum, & rupta inter vtrumque amicitiæ fœdera, illo die denuo ſunt conſolidata.

Ad tribunal igitur reducitur Pilati, quem vt ille vidit, ſic Iudæos affatur: *Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi auertentem populum: & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto.* Herodes cauſam non inuenit, illum quippe non condemnatum mihi remiſit, ſed nec ego inuenio: quocirca cœpit Pilatus eius ſtudere liberati. coque fine priuelegiũ aſſumpſit quo gaudebant in ſolemnitate Paſchali liberandi vnum de facinoroſis carcere conſtrictis, quem illi poſtulaſſent: vt autem eos moueret quatenus Chriſtum manu mitterent, propoſuit illis Pilatus Barabbam latronem inſignem & homicidam ergaſtulo conſtrictum obenormefacinus ab ipſo commiſſum, in totius vrbis non leue ſcandalum, cui Chriſtum oppoſuit vt libertati reſtitueret, quem è duobus vnum elegiſſent, ſibi perſuadens, cum eſſet Barabbas ita cunctis perniciosus & omni vitiorum genere conſpurcatus, quod Chriſtum potius quàm Barabbam, liberari poſtularent. Verumtamen elegerunt in vitam Barabbam, Chriſtum autem in mortem tradi conclamarunt. Itaque vt Chriſtum morti traderent, liber euaſit Barabbas. Numquam Iudæi Chriſtum crucifigendum decreuerunt, quamuis mortem eius concluſerint propter conuenientes rationes quas in morte eius ſuis apertè inueniebant prætenſionibus: *Expedit, vt vnus moriatur homo pro populo:* & quando in Paſſione ſua illum audierunt profitentem quod eſſet filius Dei, conclamarunt: *Blaſphemauit, reus eſt mortis.* Extra controuerſiam eſt quod hæc illi dicentes, prætenderent in eum vt blaſphemum eſſe animaduertendum morte ſcilicet lapidationis quando igitur crucis illi ſupplicium decreuerunt? Quando Pilatus Barabbam illis præpoſuit: erat hic latrocinijs infamis & homicidijs. Apud Romanos prædones cruci affigebantur: hoc probat illud Luciani: *Non feci furtum, non paſces in cruce coruos.* Apud Iudæos homicidis crux imponebatur teſte Philone: hanc merebatur Barabbas. Audiunt illi nomen eius, & Barabbã liberari poſtulant, pœnam autem quam ille merebatur Chriſto volunt infligendam, atque ex illo tempore audias illos vociferantes: *Crucifigatur, Crucifigatur.* In hoc quod ipſi ignoranter exequebantur Deus fructum Paſsionis mortiſque Dominicæ declarabat: etenim abſoluto homicida & latrone in libertatem aſſerto, eiuſque pœnâ deuoluta in innocentem, myſterium declarabatur, omnes videlicet nos à culpis noſtris pœniſque abſoluendos, ſuppoſito quod Chriſtus ſalus noſtra omnes in ſe pœnas ſuſciperet pro illis ſuſtinendas.

VII. Crux quibus imponebatur.

Ea tempeſtate ſedebat pro tribunali Pilatus, in quo conſueuerat audire proceſſus & determinare iam mortis decretum enunciaturus: & ecce nuntium mittit illi coniux ſua, hæcque viro mandat: *Nihil tibi & iuſto illi* Aduertas velim, nullam tibi ſubeſſe rationem & occaſionem quâ contra iuſtum hunc procedas: hac quippe nocte horrendas paſſa ſum viſiones quæ graui me ſtrinxerunt anguſtia. Dubium hic oritur non contemnendum, verum hæc mulieris verba de Satana prodierint, quem iam facti pœnitebat illamque volebat terrere mulierem, quatenus per hoc virum induceret vt à danda mortis ſententia contra Chriſtum reſiliret. Dicunt alij motam fuiſſe à Spiritu S. ſicut Caipham, vt vterque Chriſti Domini teſtaretur innocentiam. Sed ratio præualeat ea quam diximus, quod nempe diabolus aliqualem iam hauſerat de Chriſto notitiam, ex inſuperabili eius patientiâ, quâ viderat eum tolerantem tot pœnas, iniurias, & opprobria, & cognouerat in morte Chriſti Regni ſui latere deſtructionem nempe peccati: & vt illi ad hoc viam obſtrueret, conatus eſt Chriſti mortem impedire ad vxoris Pilati confugiens interceſſionem. Bene quidem, verumtamen cur potiùs diabolus illam excitauit quàm Pilatum, quàm Iudæos, quàm Phariſæos? Reſpondet D. Auguſt. non recurrit ad Pilatum vt illi in ſomnis loqueretur, quia cum Pilatus de die hæc negotia perageret modumque quo Chriſtum liberaret, inquireret, crederet ea quæ ſibi dicta forent in ſomnis, ſomnia eſſent: quia communiter actiones diei in ſomnis agitamus: & ne hoc acciperet vt ſomnium, ſed vt quid propoſito deſeruiens, idcirco cum præcautio futura eſſet in ſomnis,

VI. Quis vxorem mouerit Pilati ad hoc.

& de nocte, non adiit Pilatum diabolus, quia iudicabat Pilatum non fore perturbandum. Nec ipſos excitauit Phariſæos: quia illi & qui Dominum crucifigebant tanta pertinaces obſtinatione indurauerant, vt impoſſibile cenſuerit illos à propoſito deterrere. Itaque mulierem acceſsit: æſtimauit enim illam medium fore malitiæ ſuæ exequendæ conuenientiſsimum ſicut experientià didicerat in Eua, per quam coniugem Adam ad legis Diuinæ traduxerat tranſgreſsionem. Etiam credo poſsibile hic interueniſſe diabolum & Spiritum S. ſicut enim in verbis illis a Caipha prolatis: *Expedit vt vnus moriatur homo pro populo, ne tota gens pereat*: adſuit Spiritus Sanctus ad verborum illorum pronuntiationem, & concurrit diabolus vt tantâ pronuntiarentur malitia: ſic concurrit hic Spiritus Sanctus vt vxor Pilati Chriſti fateretur innocentiam: & concurrit diabolus credens, quod hac via redemptionis mundi beneficium inuerteretur. Ad ſolidem hic cadit Iudæ caſus: nam ab illo tempore, quo ſtuduit Iudas ab inita reſilire venditione, diabolus etiam ab illo reſilijt, & ſicut concurrit Spiritus Sãctus quatenus ille ſuum fateretur peccatum, & honorificum de Chriſto ferret teſtimonium: ita pariter concurrit diabolus, vt ſpem omnem abijciens miſericordiæ, laqueo vitam terminaret.

*§. 26. Mors Chriſti ſacrificium fuit pro cunctis mundi ſceleribus: idcirco permiſit Deus vt Pilatus legis tranſgrederetur limites in verberibus quibus iuſsit Chriſtum flagellari, & quod capiti eius imponi mandauerit coronam ſeptuaginta duabus ſpinis horridam, eumque in conſpectu populi foras produxerit, exclamans.* Ecce homo.

59 CVm igitur Pilatus tribunal celebraret cerneretque non Chriſtum ſed Barabbam abſoluendum poſtulari, vt plebis animum mitigaret, iuſsit illum flagellari & tanto quidem exceſſu, vt verbera numerum excederent omnium conſtitutionum. Notat

I. Iudex deſcribitur. D. Paulus in arca fœderis ſeruatum fuiſſe Manna, cum virga & duabus tabulis legis, quo ſignificaretur iudici ſeruandum eſſe Manna id eſt præmium, & virgam id eſt ſupplicium, non ad liberam ſuam voluntatem ſed iuxta inſtituta. Seuerus oportet vt ſit iudex & ſuperior, ſed iuxta legis decretum Diuino dixit concilio D. Ioannes agens de Chriſto flagella iam vibrante manibus, quibus templi profanatores extorbuerat, & illo ſcriptum referri: *Zelus domus tuæ comedit me.* Quod ſi illos punierit, fecit hoc ſecundum legem zeli honoris Domini & hunc habeat neceſſe eſt iudex ſemper præ oculis, & quando eſt neceſſarium & lex hoc decernit conuenit vt caſtiget verum legis non excedat terminos. Domine, ſi igitur tu cunctis hoc maieſtas diſponat, quomodo in proprio tuo hoc non ſeruatur filio? Quibus quidem videamus quod in illo omnes leges exceſſerint. Erat ergo ſancita lex vt virga verbera numerum non excederent quadragiſſimum: & ne numerum hic quis fore tranſgrederetur, ſtatuit vt virga ad latus collocaretur legis: quatenus illis hoc in memoriam reduceretur. Vt quid ergo Domine permittis vt reſpectu filij tui hæc lex non obſeruetur, ſintque tam crudelia & innumera verbera quibus vltra modum flagellatur? Quia ſupplicium Chriſto illatum non erat iuxta legis decretum, ſed iuxta malitiæ grauitatem: & ſicut illa nullum habebat terminum: *Propter multitudinem malitiæ tuæ*: ſic & verbera ſine termino numeroque multiplicentur, nec illi quos lex ſtatuit, limites obſeruentur.

Præcipit Pilatus inſuper vt Diuino eius capiti corona imponatur ſpinea. Expendit Diuus Cyrillus verba illa Spiritus Sancti de ſummo Sacerdote Aaron: *Et portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & ſanctificauerunt.* An ergo de capite eius peccata pendent? Pendent vtique reſpondet D. Cyrill. quia per Chriſtum ſummum Sacerdotem cuius Aaron fuit figura: *Habemus acceſſum ad Deum in introitu Sanctorum in ſanguine ipſius.* Quod ſic explico: in capite eius, & ſuper illud omnium peccata imponuntur: quocirca corona capiti eius infigatur quæ ſeptuaginta duas ſpinas complectatur: quandoquidem his peccata imponantur ſeptuaginta duarum nationum, quibus vniuerſum genus humanum continetur.

comprehenditur: ſimiliter quia hæc eius corona eſt & gloria quòd nos redimat: nunc igitur cum nos redimit corona illi ſtatuatur, ſeque coronatos: quandoquidem ſua nos morte Saluator à morte redemerit. *D. Cyrill.* in libro de lapſis, aliam indicat gentilium conſuetudinem: nam illi qui ſacrificabat porrigebatque incenſum velo caput obtegebatur, & in fronte corona ſuſpendebatur, atque ex eo Sanctos extollit Martyres, quod ad hæc minimè conuenerint: *Ab impio ſceleratoque velamine, quo illic velabantur ſacrificantia capita captiua, caput veſtrum liberum manſit frons cum ſigno Dei pura, diaboli coronam ferre non potuit, coronæ ſe Domini reſeruauit.* Per velum quo capita tegebantur vittam intelligit, quâ caput ſacrificantis cingebatur, proinde dicitur *Vittatus Sacerdos*: & Virgilius: *Redimitus tempora vittis*, quaſi dicat tempora cingebant vittis ſeu redimiculis. Per coronam diaboli intelligit D. Cyprianus illa ſacrificia & Aras diabolo conſecratas: ita ſimiliter Tertullianus intelligit, coronas ſcilicet fuiſſe miniſtrorum & Sacerdotum idolorum, ad ſacrificia quæ offerebantur.

Igitur ex his infertur quòd ſacrificantium idolis caput ligaretur, vel velo conſtringeretur & ſuper illud corona imponeretur, ſiue fuerit vitta quæ capillos colligabat, ſiue velum quo caput tegebatur eoque modo coronarentur, Quod legimus in libro Machabæorum idem confirmat: *Iuſsi ſunt Liberi Hedera coronati circuire.* Per velum deſignabant collectas ſe habere cogitationes, & vitta conſtrictas illi quod faciebant, vt nec alijs intenderent. Forte ſumpſerunt hoc gentiles ab eo quod Moyſes dum montem aſcenderet acturus cum Deo, tantâ fuerit nebula circumfuſus, vt nihil aliud præter Deum intueretur: vnde per hoc indicarunt ſacrificulos recollectos eſſe debere & coronatos, in ſignum honoris quo Deo ſacrificantes afficiuntur; Chriſtus Dominus cœleſte veluti oblaturus ſacrificium in peccatorum mundi perfectam plenamque ſatisfactionem, & hoc in morte ſua: in illa quippe ille eſt qui ſacrificat, qui offertur, & ſummus Sacerdos qui immolat, & hoſtia, & oblatio Deo conſecrata, Seruet igitur ſuam Pilatus conſuetudinem quando Chriſtus moriturus eſt Diuinoque eius capiti corona imponatur: quia ipſe eſt qui ſacrificat, & ipſa victima Deo pro totius mundi dedicata ſceleribus.

Chriſtum igitur ita flagellatum ſpiniſque coronatum, ac purpureo indutum veſtimento 60
produxit Pilatus foras geſtantem manibus arundinem, atque circumfuſæ multitudini: *Ecce homo.* Myſterio non vacat cum ſic à Pilato vocari, homo in particulari, quod illi nomen adeo proprium eſt, vt ipſi ſoli illæ conueniant qualitates, qui hanc perferens Paſſionem noſter futurus erat Redemptor. Myſterium hoc notauit D. Auguſtin. ad illa verba Pſalterij: *Nolite confidere in principibus, in filijs hominum, in quibus non eſt ſalus.* Quæſtionem Chriſto proponit, & ait. Et tu Domine, quid es? an forſitan filius non es hominis? vtique, nec hoc ſolum ſed inſuper: *Filius Dei, & Deus, & Dominus & Domini eſt ſalus.* Si hominum ſaluatio proprium ſit opus Domini, & Chriſtus nedum eſt filius hominis, ſed etiã filius Dei, & verus Deus & Dominus perſpicuum eſt quod ab illo ſolo homine ſecuram noſtram poſſimus ſperare ſaluationem. Loquatur D. Auguſtin. *In vno filio hominis ſalus, & in ipſo, non quia filius hominis, ſed quia filius Dei, Non propter id quod ſuſcepit ex te, ſed propter id quod ſeruauit in te. Ergo in nullo homine ſalus, quia & in illo ideo ſalus, quia Deus eſt qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, ſicut dixit Apoſtolus ex Iudæis eſt ſecundum carnem. ſed numquid hoc totum Chriſtus quod ſecundum carnem? non. Neque enim ſecundum carnem id eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula.*

IV. Chriſtus dicitur antonomaſtice homo.

D. Aug. In Pſ. 145 To. 8.

O mortales, nolite confidere in homine: *Maledictus homo qui ſperat in homine*: modica etenim gaudet firmitate; ſi namque dum in Paradiſo firmior erat, illam tamen nõ tenuit, & quando illi omnes diuitiæ & ſors optima filiorum ſuorum commendata fuit, illam tamẽ ſibi & illis perdidit, & ob pomi voluptatem noſtræ ſubijt felicitatis iacturam: modo ſuis ita commodis addictus quâ conſtantia firmabitur? *Maledictus homo qui confidit in homine. Si homo cum in honore eſſet non intellexit, quanto minus nunc cum eſt comparatus iumentis inſipientibus?* Non eſt cur in homine noſtram fidamus ſaluationem: porrò *Ecce homo* Chriſtus noſter homo, taliter cum homo eſt vt Deus ſit ſuper homines: huic tutò confidas, non enim tibi deficiet. Dixit Iſaias de illo, quod *Pendet ex eo omnis gloria domus Patris eius.* Dauid ho-

Hier 17.5
Pſ. 48.13.
Iſai. 22.24

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

hominem nobis indicat, quem iuſti deridebãt:
Pſ. 5.1.9. *Ecce homo. qui non poſuit Deum adiutorem ſuum.* Chriſtus alium nobis propoſuit hominem,
Luc. 14. quem ſapientes ſannis excipiunt, quia computus ſuos fecit imprudenter: *Ecce homo qui cæpit ædificare domum, & non potuit conſummare.* Porro *Ecce homo* de quo teſtantur inimici: *Sperauit in Deo. Ecce homo* qui ſic ad finem deduxit quòd ſibi præfixerat, vt licet vitæ ſuæ diſpendio, illud tamen perfecerit & conſummauerit, ſic ipſe: *Conſummatum eſt, Ecce*
Pſ. 145. 4. *homo*, ne fidas in homine, quia *Exibit ſpiritus eius, & reuertetur in terram ſuam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* Non ſic in Chriſto: cogitauerunt illum occidere credentes quod per hoc illum exterminarent, eumque eſſe alijs ſimilem hominibus, quibus mortuis *Pereunt omnes cogitationes eorum:* Sicut patuit in Iuda Galilæo: veruntamen turpiter falli mini: etenim talis non eſt hic homo, quin imo hac morte eius fortitudo roboratur & per hanc opratum in omnibus effectum conſequitur. Opinior vidit illum D. Ioannes veſte purpurea circumdatum hanc referentem Epigraphen, ſuæ celſitudinis titulum: *Fidelis*
Apoc. 19. 11. *& verax* In morte pereunt hominum propoſita, corruuntque machinæ, quas nequeunt conſummare: verum Chriſtus ſe in illa probauit fidelem, & ſua moriens promiſſa complet nec perit, ſed rediuiuus ſuis apparet Apoſtolis. Erant hæ conditiones, quibus fulgeret ille, qui noſtram erat operaturus ſalutem, & quas ſolum in Chriſto cognoſcimus; igitur *Ecce homo*, hic eſt qui tibi digito notatur, homo omnino ſingularis.

Hoc egit Pilatus vt populo ſatisfaceret Iudæorum quaſi dicat ſi timueritis ne ſe Regem extolleret, *Ecce homo:* non enim talis eſt vt Rex eſſe poſſit. Porro licet viderint illũ Principes Sacerdotum, miniſtri totuſque populus hoc vili ſchemate dedecoratum, vt prototypon eſſet dolorum, pœnarum & afflictionum, non ideo peruerſitas eorum furorque deferbuit, ſed vlterius progreſſi ſæuiora poſtulant, clamantque: *Crucifige, Crucifige eum.* Et quantumuis acrius inſtet Pilatus, repetatque ſæpius *Non inuenio cauſam,* replicant illi: *Nos legem habemus & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.* Vt pertinacem eorum vidit Pilatus inſtantiam, timuit, atque vt ex aliquo Chriſti verbo materiam poſſet elicere condemnationis, denuo cum illo loquitur & nullum quam quod hactenus verbum expreſſit, quocirca eius intendit liberationem. Verum cum Imperatoris illi perdenda proponitur amicitia eiuſque acclamantibus eum nec fidelem miniſtrum nec eſſe amicum Cæſari conſtantem, ſi aduerſarium hunc Cæſari, eiuſque Regno aduerſarium & ſeditioſum abſolueret: Tunc magis timuit Pilatus lauitque ſibi manus in hæc verba proteſtatus: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius, vos videritis.* Res notatu digna, omnes conatos fuiſſe ſibi culpam excutere morte Chriſti contractam. Iudas ſe exonerat dicens: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Principes Sacerdotũ in templo culpam in Iudam excutiunt, dum aiunt: *Tu videris.* Principes Phariſæorum ſtuduerunt culpam imponere multitudini tebũ quos contra Chriſtum ſubornarunt, vt eum coram Pilato teſtes accuſarent, quia omnes Eccleſiaſtici illo die huius mortis proceſſum inter ſe diuiſerunt. Quidam abierunt in templũ, & illi ſunt qui ſe excuſant et contraſtu Iudæ proditoris. Alij verò qui capita erant cauſam coram Pilato egerunt, & hi falſis teſtibus culpã iniecerunt. Pilatus ſe exonerat lauans ſibi manus palamque confitens Chriſti Saluatoris innocentiã & iuſtitiã, totum peccati pondus populo imponens Iudaico *Vos videritis.* Ut igitur vos Iudæ dicatis: *Tu videris,* & ego vobis dico: *Vos videritis.* Quid illi: *Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.* Quò audito Pilatus terroribus eorum minisque conuictus: *Tradidit Ieſum voluntati eorum.*

Nota *Huc vſque peruenerant Typographi, quando vnius incuria lectorem tot mirabilibus, ſpiritualibus & altiſsimis priuauit conſiderationibus, quibus hi Paſſionis diſcurſus extendebantur. Et quamuis ſumma adhibita ſit diligentia, vt inuenirentur: eadem tamen originalia inuenire fuit impoſſibile, quæ operis Auctor diſpoſuerat & correxerat. Et licet lecta fuerint in diuerſis partibus ſermonum illius, cum mortem, illa tamen relinquere in eis abſcondita minus iudicauimus inconueniens quam in lucem dare alienis calamis expolita. Talem ſemper mererentur ſcripta viri tanta ſapientia conſpicui.*

SVM-